MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80514-11

AUTHOR:

WRESCHNICK, ROBERT

TITLE:

DE CICERONE LUCRE-
TIOQUE ENNII...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1907

Master Negative #

92-80514-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wreschniok, Robert, 1879-
De Cicerone Lucretioque Ennii imitatoribus.
Vratislaviae, Typis R. Nischkowsky, 1907.
62 p.

Thesis, Breslau.
Volume of pamphlets.

1. Cicero, Marcus Tullius. 2. Lucretius Carus, Titus. 3. Ennius, Quintus.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11 X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-26-92 INITIALS M. D C
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

HO-1

De Cicerone Lucretioque Ennii imitatoribus.

Dissertatio inauguralis,

quam amplissimi philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

una cum sententiis controversis

die X mensis Augusti anni MCMVII hora XII

in Aula Leopoldina

publice defendet

Robertus Wreschniok

Silesius.

Adversarii erunt:

C. Dittrich, cand. prob.

J. Pietzko, Drd. phil.

Vratislaviae

Typis R. Nischkowsky

MCMVII.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die XV mensis Maii MCMVII.

Francisco Skutsch
sacrum

Prooemium.

Qua auctoritate apud Graecos Homerum eadem apud Romanos Ennium floruisse vel inde apparet, quod non modo poetae, qui paulo post eum vixerunt, multis in rebus eius vestigiis institerunt atque ad illius imaginem sese formaverunt, sed etiam elegantioris aetatis poetae illum sibi ad imitandum proposuerunt, id quod multi viri docti diserte nos docuerunt (cf. Bentfeldium, Über den Einfluß des Ennius auf Vergil. Progr. Salzburg 1875. Kruegerum, Vergili Aeneis quibus in rebus iudicanda sit secuta esse exempla veterum poetarum Latinorum Ennii, Lucretii, aliorum? Diss. Jenae 1874. Zingerleium, Ovid und sein Verhältnis zu den Vorgängern . . . Innsbruck II, 1871). Atque Cicero quanti aestimaverit Ennium cognosci potest cum ex admiratione et veneratione, qua saepissime de poeta Rudino loquitur, tum ex iudiciis eius de Ennio. Etenim summum poetam appellat in libro de orat. I, 198 et in oratione pro Balbo 51 ac multis aliis locis eum laudat atque praedicat [1]. Quanti eum fecerit inde quoque perspici potest, quod non solum Ennii versus saepissime citare sed etiam voces Ennianas in oratione soluta adhibere solet (cf. Gell. XII, 2; Skutschium, Arch. f. Lexic. XII, 208 sqq.). Sed singula enumerare supersedeo, quoniam quae Enniana in scriptis orationis solutae Ciceronianis inveniuntur, Vahlenus [2]) et Kubikius [3]) collegerunt. Tamen nemo hucusque dedita opera inquisivit quid in carmi-

[1]) cf. Cic. de opt. gen. orat. 1, 2; Tusc. III, 45; orat. pro Murena 30; pro Archia 22; Brut. 75 sq. Testimonia scriptorum Romanorum de Ennio collegit Lucianus Muellerus in Ennii editione p. 145 sqq. Petropoli 1884.

[2]) In praefatione Ennii editionis alterius p. XXXIX sqq.

[3]) Dissert. phil. Vindob. I, 257 sqq.

nibus Cicero Ennio debeat, sed quamquam maximi momenti esse hanc quaestionem ubi de Ennii auctoritate agitur nemo negaverit, nonnisi singula singuli protulerunt[1]).

Lucretium quoque ad Ennii exemplum sese formasse vel ex notis versibus, quibus carminis initio (I, 117 sqq.) Ennium summis laudibus effert, elucet atque Pulligii dissertatione Ennio quid debuerit Lucretius (Halis 1888) confirmatur. Hic autem ut alteram partem quam dissertationi adiungere in animo habebat, quantum scio, nunquam emisit, ita spicilegium reliquit satis amplum.

Quae cum ita sint Ennio, Cicerone, Lucretio inter se collatis accuratius perscrutari mihi proposui, quid hi poetae Ennio debeant. Quod cum eis causis commotus feci de quibus iam dixi, tum quod spes erat fore, ut duobus vetustissimis Ennii imitatoribus, quorum opera aut integra aut magnam partem servata sunt, inter se comparatis ad perspiciendam dictionem Ennii aliquid conferrem vel etiam flosculos Ennianos hucusque ignotos in lucem protrahere possem. Qua in re non nescio meam argumentandi rationem non omnibus probatum iri; erunt enim qui contendant, consensum qui est Ciceronem inter et Lucretium non ex deperditis Ennii versibus explicandum esse, sed Ciceronem Lucretii fontem fuisse. Quorum rationi ita adversum ire conabor, ut ubi fieri potest adhibitis aliis etiam Ennii imitatoribus, imprimis Vergilio et Silio Italico, probabilius de fonte Enniano cogitari demonstrem. Neque vero eos, quibus ne sic quidem persuasero, mea conamina inutilia iudicaturos esse confido, utpote quibus si non imitatio Enniana apud Ciceronem et Lucretium certe Ciceroniana apud Lucretium aperta fiat[2]).

[1]) cf. Skutschium s. v. Ennius in Pauly-Wissowae encycl. V, p. 2614, 36 sqq.; Usenerum, Mus. Rhen 56 p. 313; Nordeni comment. ad Aen. VI. p. 367 sq.

[2]) Adiutus sum maxime in hac re disquirenda et Pulligii dissertatione supra allata et Skutschii disputatione (v. supra adnot. 1) et Nordeni commentario ad Vergili Aeneidis lib. VI. conscripto. Nam cum ille exemplis plurimis allatis demonstraverit, Lucretium non modo ex Ennii annalibus sed etiam ex tragoediis aliisque carminibus hausisse, Skutschius et Nordenus ad imitationem Ennianam, quae est in Ciceronis carminibus, animum intenderunt. Neque Vahleni observationes acutissimas in relat. acad. Berol. a. 1896 p. 717 sqq. prolatas et Heinzii commentarium ad Lucretii III. silentio praeterire volo. Reliqua autem virorum doctorum de Ennio Lucretioque scripta, quae in hac quaestione adhibenda sunt, enumerare omitto quoniam Pulligius ea commentationis suae initio (p. 8) collegit. Quos libros praeterea in usum meum converti, ei suo loco commemorabuntur.

Materiam ita disponam, ut primo capite de locis Ennio, Ciceroni, Lucretio communibus, secundo de eis quae apud Ennium et Ciceronem occurrunt, tertio de Ennio et Lucretio, quarto denique de eis dicam, quae cum Ciceroni et Lucretio communia sint neque tamen in reliquiis Ennianis extent, ego ex Ennio fluxisse coniciam.

Caput I.

De Ennio, Cicerone, Lucretio.

Venimus igitur ad singulas similitudines enucleandas inter hos tres poetas, e quibus primo loco singulorum vocabulorum usum tractabimus.

I. De vocabulorum usu.

Ac primum quidem contemplemur

§ 1. Substantiva,

quae ex Ennio sumpsisse Ciceronem et Lucretium verisimile sit.

Mavors, vocem antiquam ac poeticam, quam Ennium in poesim introduxisse et posteriores in usum suum vertisse probabile est, legimus apud Ennium an. 104:

. . . Nerienem Mavortis et Herem

et in Ciceronis frg. 3, 42[1]) (div. I, 20), quibus in versibus alia quoque Enniana inesse Usenerus l. l. demonstravit:

hic silvestris erat Romani nominis altrix
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
uberibus gravidis vitali rore rigabat[2])

[1]) In citandis Ciceronis fragmentis utor editionibus Baehrensianis (PLFr. et PLM I).

[2]) In Ciceronis oratione soluta plerumque nisi *Mars* non legitur; v. orat. pro Marcello 17; epist. ad fam. VI, 4, 1; de off. III, 34; duobus

et apud Lucretium I, 32:

. . . quoniam belli fera moenera Mavors
armipotens regit . . .

quo in versu adiectivum quoque *armipotens* dictionem Ennianam exhibet. Vergilius quidem dicit Aen. IX, 717 *Mars armipotens,* sed in descriptione lupae fetae (Aen. VIII, 630 sqq.) quem ad locum Servius adnotat: *Sane totus hic locus Ennianus est,* nomine *Mavors* utitur, et in versu Aen. VI, 872 habet:

quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
campus aget gemitus! . . .

Apud Vergilium et Ennium igitur eadem exstat forma in eodem versus pede.

rota candida i. e. *solis* habent E. an. 558:

inde patefecit radiis rota candida caelum

et Cic. Arat. 280:

hunc, a clarisonis[1]) auris Aquilonis ad Austrum
cedens, postremum tangit rota fervida solis.

Confer Arati verba Phaen. 507[2]), quae Cicero reddit:

τὸν πύματον καθαροῖο παρερχόμενος βορέαο
εἰς νότον ἠέλιος φέρεται, . . .

et intelleges Tullium in vertendo carmine Graeco Ennii memorem fuisse et, ut locutionem Ennianam imitaretur, a textu Graeco deflexisse.

Lucr. V, 432:

hic neque tum solis rota cerni lumine largo
altivolans[3]) poterat. . . .

et V, 564:

nec nimio solis maior rota nec minor ardor
esse potest . . .

Eandem locutionem invenimus apud Quintum Ciceronem frg. 1, 15 (Baehr. F. P. R. p. 316):

at dextra laevaque ciet rota fulgida solis.

---

tantum locis *Mavors* forma utitur, ut etymologiam, *quod magna verteret,* fulcire possit (de nat. deor. II, 67 et III, 62).

[1]) Adiectivum *clarisonus* ad Ennii exemplum esse fictum infra demonstrabitur.

[2]) Numeri sunt editionis Maassianae.

[3]) Lucretium adiectivum *altivolans* ex Ennio sumpsisse infra illustrabitur.

Nec non locutio *dextra laevaque* esse Ennianae originis videtur, cum eam etiam apud Lucretium IV, 276:

inde fores ipsae dextra laevaque secuntur

et apud Vergilium Aen. VI, 656:

conspicit ecce alios dextra laevaque per herbam

in eodem versus pede legamus.

Tractaturus sum

§ 2. Adiectiva,

quae, cum a Cicerone Lucretioque plerumque cum eisdem quibus ab Ennio substantivis coniungantur, ex poeta Rudino esse sumpta probabile est.

altitonans, quod adiectivum Ennius finxerat, ut ὑψιβρεμέτης redderet, habent En. an. 541, Cic. frg. 3, 36, Lucr. V, 745. Sic Ennius et Cicero Iovem vocant. Simili modo eundem Cicero *altisonum,* quod adiectivum eum item ex Ennio hausisse infra videbimus, appellat (frg. 19, 1):

hic Iovis altisoni subito pinnata satelles
arboris e trunco serpentis saucia morsu
subrigit . . .

asper attributum cum Ennius *saxo* apposuerit, Cicero Lucretiusque eum sequuntur. E. trg. 362 *saxis asperis* et trg. 430 *saxa aspera,* Cic. frg. 32, 2 *asperis saxis*[1]), Lucr. IV, 147 *aspera saxa.*

caerulus[2]) adiectivum ex Ennio in Ciceronis Lucretiique carmina fluxisse et in usum posteriorum poetarum transisse nemo est qui neget. Legimus autem hoc vocabulum de *mari* dictum apud Ennium an. 143: . . . *i caerula prata,* quod fragmentum a Festo 286, 28 M traditum viri docti non male ita supplere volunt: *Neptuni* vel *ponti caerula prata,* quam coniecturam Ciceronis Arat. versu 128 sq. fulciri posse censeo:

---

[1]) quem totum locum ex Ennio sumptum esse infra demonstrabitur.

[2]) De hoc adiectivo ab Ennio formato conferas Schwede, De adiectivis materiem significantibus quae in prisca Latinitate suffixorum -no-et-eo-ope formata sunt. p. 16 sq. Diss. Vratisl. 1906.

non aliae naves ut in alto ponere proras
ante solent rostro Neptunia prata[1]) secantes

et Lucretii V, 481:

maxima qua nunc se ponti plaga caerula tendit.

Cicero frg. 29, 3:

nam nemo haec umquam est transvectus caerula cursu

simpliciter *caerula* sola pro voce *maria* ponit, et cum hunc usum apud Vergilium quoque Aen. III, 207:

. . . haut mora nautae
adnixi torquent spumas et caerula verrunt

et VIII, 672:

. . . sed fluctu spumabant caerula cano[2]).

inveniamus, atque in eis versibus, qui multis in verbis Ennii an. versibus 384 sq.:

verrunt extemplo placide mare: marmore flavo
caeruleum spumat sale conferta rate pulsum

respondeant, hanc dictionem Ennianae originis esse verisimile est[3]).

canus: hoc adiectivum *maris fluctibus* attribuens Ennius an. 478:

labitur uncta carina per aequora cana celocis

Homerum imitari videtur (cf. Hom. Od. V, 410; IX, 132; Il. XX, 229 ἁλὸς πολιοῖο et Il. IV, 248 πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης). Ex Ennio Cicero et Lucretius hunc usum sumpsisse videntur: etenim legimus apud Ciceronem Arat. 71:

nec metuunt canos minitanti murmure fluctus

et apud Lucretium II, 767:

ut mare
vertitur in canos candenti marmore fluctus;

cf. Verg. Aen. VIII, 672 *fluctu — cano.*

---

[1]) Similis exstat metaphora apud Vergilium Aen. VIII, 695:
. . . arva nova Neptunia caede rubescunt.

[2]) *canus* de *maris fluctibus* dictum ex Ennio haustum esse mox intellegemus.

[3]) cf. Nordenum l. l. 364, qui eos locos, in quibus Cicero et Vergilius inter se congruunt, utrumque ex Ennio sumpsisse affirmat.

durus cum subst. *labor* coniunctum exhibent E. an. 345:

. . . quae denique causa
pugnandi fieret aut duri finis laboris

Lucr. III, 999, V, 1272, 1359:

. . . durum sufferre laborem[1]),

Cic. frg. 22, 1:

ferte, viri, et duros animo tolerate labores

quibus verbis transfert versum Il. II, 299:

τλῆτε, φίλοι, καὶ μείνατ' ἐπὶ χρόνον, . . .

Cicero igitur ἐπὶ χρόνον omittit et μείνατ' copiosius reddit Ennii exemplo commotus. Cf. Verg. georg. IV, 114:

ipse labore manum duro terat . . .

Adiungere mihi liceat et Ennium et Lucretium adverbium adiectivi *durus* in *iter* exiens formare; cf. E. trg. 306. Lucr. V, 1402[2]).

fortis, equi epitheton ornans, invenitur apud Ennium an. 374:

sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
vicit Olympia . . .

et apud Lucretium III, 8, 764:

. . . fortis equi vis

et apud Ciceronem Arat 53:

. . . iam vero clinata est ungula vemens
fortis Equi propter pinnati corporis alam.

Si respexerimus Arati versum Phaen. 281:

λαιῇ δὲ πτέρυγι σκαρθμὸς παρακέκλιται Ἵππου,

intellegemus Ciceronem fortasse Ennii memorem[3]) *equo* epitheton *fortis* addidisse. cf. Verg. Aen. XI, 705 *forti equo.*

Graius[4]) adi. ad originem significandam habet En. an. 177:

navus repertus homo Graio patre Graius homo rex

---

[1]) Clausula tota ex Ennio hausta esse videtur; cf. En. an. 425:
. . . *sufferre laborem.*

[2]) Plura exempla ex Lucretio et aliis affert Prollius, de formis antiquis Lucretianis, diss. Vratislaviae 1859 p. 55.

[3]) Adde quod Cic. de senectute 5, 14 hunc Ennii locum citat.

[4]) cf. Pulligium l. l. p. 35.

Lucr. I, 66:

primum Graius homo mortalis tendere contra[1])

Cic. frg. 33, 15:

non Graia vis, non barbara ulla inmanitas.

medius cum subst. *regio* coniunctum: E. an. 505:

succincti gladiis media regione cracentes

Lucr. VI, 723:

exoriens penitus media ab regione diei

et V, 534:

terraque ut in media mundi regione quiescat

et III, 140:

idque situm media regione in pectoris haeret

Haec Ennii dictio Ciceroni quoque ante oculos esse versata videtur, cum versum scriberet Arat. 193 (sc. cernes):

aram sub media caeli regione locatam,

praesertim cum Arati versu Phaen. 414:

εὔχεο μεσσόθι κεῖνο φανήμεναι οὐρανῷ ἄστρον,

commoveri non posset, ut hanc locutionem adhiberet.

mortifer[2]), quod adiectivum Ennius e Graeco θανατηφόρος (v. Aesch. Choeph. 369) repetivisse videtur, legitur trg. 314:

scibam me in mortiferum bellum, non in epulas [mittere[3]),

apud Ciceronem Arat. 432:

mortiferum in venas figens per vulnera virus

apud Lucretium VI, 818:

sic ea Averna loca alitibus summittere debent
mortiferam vim ...

et VI, 1090: ... aut unde repente
mortiferam possit cladem conflare ...

Apud Vergilium Aen. VI, 279 *mortiferum bellum* legitur; is igitur reliquis accuratius Ennio usus est.

---

[1]) Lucretium hic etiam clausulae Ennianae an. 444 *suo cum flamine contra* memorem fuisse verisimile est.

[2]) cf. Deipser, Über die Bildung und Bedeutung der lateinischen Adjectiva auf *fer* und *ger*. Progr. Bromberg 1886 p. 5 sqq.

[3]) Hic versus a Cicerone Tusc. III, 28 citatur.

quadrupes[1]) epitheton habent En. an. 232, trg. 190. Cic. Arat. 211. Lucr. II, 536; IV, 1265; V, 789, 1202; VI, 757. Verg. Aen. III, 542; VII, 500; XI, 714, 875.

serenus, noctis epitheton ornans ponunt Ennius et Cicero in versus fine: En. an. 396:

omnes occisi obcensique in nocte serena,

Cic. Arat. 104:

quem qui suspiciens in caelum nocte serena
late dispersum non viderit ...

quibus cum verbis si contuleris Arati Phaen. 323 sqq.:

... μή, κεῖνον ὅτις καθαρῇ ἐνὶ νυκτί
ὑψοῦ πεπτηῶτα παρέρχεται, ἄλλα πεποίθοι
οὐρανὸν εἰσανιδὼν προφερέστερα θηήσεσθαι,

intelleges Ciceronem clausula ex Ennio sumpta uti ad vertendum poetam Graecum. Lucretius quoque Ennii locum ante oculos habuisse videtur, cum scriberet I, 142:

... et inducit noctes vigilare serenas.

cf. Verg. georg. I, 426:

... neque insidiis noctis capiere serenae.

superus cum subst. *lumen* coniunctum legimus apud Ennium et Lucretium in eodem versus pede: E. an. 102:

cum superum lumen nox intempesta teneret,

Lucr. VI, 856:

cum superum lumen tanto fervore fruatur.

Eandem locutionem adhibet Cicero in versu Arat. 350:

nam, simul ac primum supero se lumine Cancer
extulit ...

quem Ennii dictionis memorem fuisse verisimile videtur, praesertim cum Arati verbis Phaen. 569:

... ὅτε Καρκίνος ἀντέλλῃσιν

adduci non potuerit, ut hoc potissimum modo verteret. Adde Cic. Arat. 374:

iam supero ferme depulsus lumine cedit

---

[1]) Ex Ennio sumpsit *sonipes* Lucil. lib. XV frg. 507 (edit. Marx.). Catull. c. 63, 41. Verg. Aen. IV, 135, XI, 600, 638; cf. Nordenum l. l. p. 184 et 338.

et Arat. 284:

... supera tres luce dicantur.

tremebundus adhibent En. sat. 32. Cic. Arat. 88, 122. Lucr. I, 95.

validus cum ablativo *viribus* coniunctum sive addita praepositione *cum* sive non addita legitur apud Ennium an. 300:

fortuna varia validis cum viribus luctant

qui hanc dicendi formulam ex Homero sumpserat (cf. clausulam κρατερῆφι βίηφιν Od. XII, 210, et Il. XXI, 501), deinde apud Cic. Arat. 67:

at validis aequor pulsabit viribus Auster

et ibid. 195:

tum validis fugito devitans viribus Austrum

et apud Lucretium I, 287 *validis cum viribus,* ubi in eodem quo apud Ennium l. c. pede haec locutio exstat; sine praepositione *validis viribus* invenitur apud Lucretium I, 971; III, 451; V, 1098.

Iam afferamus

§ 3. Verba

quorum in usu poetae inter se congruunt, ita ut Cicero et Lucretius in eis adhibendis ad Ennii exemplar sese applicasse videantur.

convestire, cuius verbi usum ex Enniano fonte fluxisse verisimile est, exstat apud Ennium trg. 131:

neque terram inicere neque cruenta convestire corpora
mihi licuit...

et trg. 155:

fontes scatere, herbis prata convestirier[1]),

apud Lucret. II, 147:

quam subito soleat sol ortus tempore tali
convestire sua perfundens omnia luce,
omnibus in promptu manifestumque esse videmus,

[1]) Lucretium verbum *scatendi* ex Ennio sumpsisse infra videbimus; et a Cicerone Tusc. I, 69 hic totus Ennii locus (trg. 151—155) citatur.

apud Ciceronem Arat. 332:

haec sol aeterno convestit lumine lustrans[1])

et Arat. 423:

bacchica quam viridi convestit tegmine vitis.

Adde Cic. Arat. 60:

quem cum perpetuo vestivit lumine Titan

et Arat. 473:

... et vestivit lumine terras,

quibus cum locis Verg. Aen. VI, 640 conferas:

largior hic campos aether et lumine vestit
purpureo[2]), ...

evolvere pro *exponere* adhibent E. an. 174. Cic. Arat. 234. Lucr. I, 954.

foedare: hoc verbum, quod apud Livium quoque (cf. III, 26 *agros foedare* et III, 32 *multiplici clade foedatus annus)* invenitur, quem Ennii dictionem saepe secutum esse viri docti consentiunt[3]), Cicero et Lucretius ex Ennio hausisse videntur. Cf. enim E. trg. 174:

... ferro foedati iacent,

Cic. frg. 32, 19: (aquila)

quae me perenni vivum foedat miseria.

Lucr. III, 49:

... foedati crimine turpi

et IV, 844:

... foedareque membra cruore.

Vergilius Aen. II, 55 quin hoc verbum ex Ennio sumpserit, non dubium est, cum apud eum vel eadem quae apud Ennium l. c. locutio *ferro foedare* legatur.

lumina linquere vel relinquere, quam dictionem ex Homero sumpsisse Ennius videtur (cf. λείπειν φάος ἠελίοιο Od.

[1]) Quam clausulam ex Ennio esse sumptam infra demonstrabitur.

[2]) cf. supra p. 6 adn. 3.

[3]) Hagen, Jhrbch. f. klass. Philol. 109 (1874) p. 271—273; Zarncke, Commentationes philol. Ribbeckio sacrae 1888 p. 274 sqq.; Skutschius, l. l. p. 2618, 52 sqq.; Nordenus, Kunstprosa I, 235.

XI, 93; Il. XVIII, 11) Cicero et Lucretius ex Ennio hauserunt. Cf. E. an. 149:

postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit

quem versum immutatum fere carmini suo inseruit Lucretius III, 1025:

lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit.

Huc adde Lucr. III, 542:

lumina qui linquunt moribundi particulatim,

et V, 989:

nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecla
dulcia linquebant labentis lumina vitae.

Apud Ciceronem, cuius in oratione soluta formula *lumina linquere* nusquam adhibetur, legimus frg. 3, 24:

luce serenanti vitalia lumina liquit (sc. civis)

et frg. 22, 5:

qui non funestis liquerunt lumina fatis,

quibus verbis Tullius reddit Hom. Il. II, 302:

. . . οὓς μὴ κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι,

et frg. 24, 1: hic situs est vitae iam pridem lumina linquens[1]) quocum conferas Hom. Il. VII, 89, qui versus a Cicerone latine redditur: ἀνδρὸς μὲν τόδε σῆμα πάλαι κατατεθνηῶτος. Videmus igitur Ciceronem ex versibus Graecis illam formulam non hausisse, sed verba Enniana ad vertendos versus Graecos adscivisse.

mulcere, quod verbum Cicero in oratione soluta non adhibet, invenimus apud Ennium an. 225:

mulserat huc navem conpulsam fluctibus pontus,

apud Cic. Arat. 88: (aquila)

igniferum mulcens tremebundis aethera pinnis[2]),

[1]) Initium quoque huius versus ex Ennio fluxisse videtur, cf. E. Epigr. III, 1 *hic est ille situs* . . ., quamquam notum est titulos sepulcrales posterioris aetatis saepius ab his vocabulis initium cepisse. Vide James Church, Zur Phraseologie der lateinischen Grabinschriften, Arch. f. Lexic. XII, p. 216 sqq.

[2]) cf. Verg. Aen. VII, 33 sq.:

. . . volucres et fluminis alveo
aethera mulcebant cantu lucoque volabant.

Cum apud Ciceronem et Vergilium eadem exstet formula *aethera mulcere,* non modo verbum *mulcendi* esse Ennianum sed totam locutionem Ennianae originis esse non sine probabilitate conici potest. cf. supra p. 6 adn. 3.

apud Lucr. IV, 136:

aera mulcentes (sc. nubes) motu.

Quibus omnibus locis huic verbo vis leniter movendi tribuitur.

potesse, formam non contractam quin Cicero et Lucretius ad Ennii exemplum et usurpaverint et plerumque in versus fine posuerint, non dubitabis. E. enim an. 222:

. . . quantumque potesset in armis,

Cic. Aract. 106:

. . . speret cognoscere signa potesse,

Lucr. I, 665:

. . . ratione potesse,

cf. Lucr. II, 225, 1010, III, 319.

Sed haec de vocabulorum usu. Quamquam ea, quae adhuc tractata sunt, ad illustrandam imitationem Ciceronis Lucretiique Ennianam aliquantulum conferunt, tamen non semper tanti momenti sunt quanti quae sequentur. Multo enim gravius imitationis argumentum praebent versuum clausulae, quas poetae communes habent, de quibus disserere nunc in animo habeo.

II. De versuum clausulis.

Genetivum primae declinationis in *ai* exeuntem Cicero et Lucretius multis locis usurpaverunt atque has formas praecipue in versus fine posuerunt. Habebant autem, quem hac in re imitarentur, Ennium suum, quem hanc formam genetivi in *ai* desinentem saepius adhibuisse notis exemplis demonstratur[1]). E. an. 33:

olli respondit rex Albai Longai

E. an. 203:

. . . flexere viai

E. an. 489:

. . . terrai frugiferai,

Ciceronis exempla ut nonnulla afferam, sunt: Arat. frg. XV, 5 (de nat. deor. II, 109):

. . . pectusque Nepai[2])

[1]) De hac genetivi forma cf. Kuehnium, Quaestiones Lucret. grammaticae et metricae, Vratisl. 1869, p. 6; Prollium l. l. p. 28.

[2]) De vocabulo *nepa* cf. quae p. 25 adn. 1 dicturi sumus.

Arat. 216:

... caput atque oculos torquens ad terga Nepai

Arat. 179:

hae tenues stellae perhibentur[1]) nomine Aquai,

cui versui respondet Arati Phaen. 399:

τοὺς πάντας καλέουσιν Ὕδωρ ...

Cic. frg. 22, 10:

... fons unde emanat aquai,

quae Graece dicuntur Hom. Il. II, 307:

... ὅθεν ῥέεν ἀγλαὸν ὕδωρ.

Ex Graecis igitur versibus adscriptis Ciceronem hos versus vertentem Ennii exemplar esse secutum elucet. Quibus exemplis Ennianis Ciceronianisque opponenda sunt haec Lucretiana:

I, 283: ... magnus decursus aquai
III, 580: ... perferre animai
VI, 550: ... cumque viai[2])

ac multa alia.

Item saepe abstracta cum concretis coniuncta, ut imitentur illud Homericum ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο vel ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, quo dicendi genere primus usus est Ennius, Cicero et Lucretius Ennii exemplum secuti adhibent et in versus clausula locant. In Ennii annalibus exstat:

119: ... suavis sonus Egeriai
276: ... Vestina virum vis
286: ... iniqua superbia Poeni.

Ex Cicerone haec exempla notavi:

Arat. 321 sqq.:

hunc subter fulgens cedit vis torva Leonis,
quem rutilo sequitur conlucens corpore virgo,
exin proiectae claro cum lumine Chelae
ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai,

quibuscum conferas Arati Phaen. 545 sq.:

τῷ ἔνι Καρκίνος ἐστί, Λέων ἐπὶ τῷ, καὶ ὑπ' αὐτόν
Παρθένος, αἱ δ' ἐπί οἱ Χηλαὶ καὶ Σκορπίος αὐτός,

---

1) Hic usus verbi *perhibendi* esse Ennianus videtur. Vide an. 23, 148, 218, 409. Cic. Arat. frg. XIII. Arat. 318. Lucr. IIII, 369, VI, 702 ac saepius.

2) vide supra p. 13, E. an. 203 ... flexere viai.

Cic. Arat. 370 sqq.:

sed cum de terris vis est patefacta Leonis
omnia, quae Cancer praeclaro detulit ortu,
cedunt obscurata, simul vis magna Aquilai
pellitur, ...

quibus versibus opponendi sunt Arati Phaen. 590 sqq.:

ἐρχομένῳ δὲ Λέοντι τὰ μὲν κατὰ πάντα φέρονται,
Καρκίνῳ ὅσσ' ἐδύοντο, καὶ Αἰετός, ...

Vides igitur non Graecos quidem versus, quos Cicero in reliquis secutus est, ansam circumscribendi dedisse, sed Ennium.

Apud Lucretium legimus:

V, 28: ... tripectora tergemini vis Geryonai
III, 296: quo genere inprimis vis est violenta leonum
VI, 1222: ... fida canum vis,

cf. etiam Lucr. III, 8, 764 atque alia. Hunc usum Vergilius quoque multis locis est imitatus. Unius tantum loci mentionem faciam Aen. IV, 132 *odora canum vis,* quo eadem quae apud Lucretium clausula exstat, quam ex Ennio fluxisse Nordenus l. l. p. 430 adn. 5 censet. Quibus omnibus locis praecipue substantivum *vis (gr.* ἴς*)* — ut vidimus — ad formandam hanc dictionem adhibetur.

Iam vero conferas velim hos versus in eandem monosyllabam vocem exeuntes:

Cic. Arat. 264:

in quo consistens convertit curriculum Sol

Lucr. III, 1044:

... stellas exortus ut aetherius sol

Lucr. V, 267, 389:

... radiisque retexens aetherius sol

(adde etiam Lucr. V, 215, 281; VI, 620). Quibus locis Ciceroni Lucretioque ante oculos versatus esse videtur ille versus Ennii an. 92: ... simul aureus exoritur sol[1]).

Neque dubium est quin nostri poetae hos fines hexametri in monosyllabum desinentes ex Ennio sumpserint, praesertim cum aetate Ciceroniana iam esset inusitatum versum hexametrum monosyllabo terminare[2]).

---

1) Ex Ennio sumpsit Ovid. met. VII, 663: ,.. iubar aureus extulerat sol.

2) cf. Nordenum, l. l. p. 427 et Meyerum, Zur Geschichte des griech. und lat. Hexameters (Sitzungsber. der bayer. Akad. 1884) p. 1035.

Ceteri autem versuum fines, quos Ciceronem et Lucretium ex Ennio sumpsisse putamus, hi fere sunt:

Cic. frg. Arat. 7, 1:

hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto,

cui versui respondet Arati Phaen. 39:

τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν.

Cic. Arat. 375:

sed laevum genus atque inlustrem linquit in alto
plantam . . .

quibus verbis Cicero reddit Arati Phaen. 592 sq.:

. . . ἀτὰρ γόνυ καὶ πόδα λαιόν
οὔπω κυμαίνοντος ὑποστρέφει ὠκεανοῖο,

Apud Lucretium legimus: IV, 133:

ut nubes facile interdum concrescere in alto
cernimus . . .

et V, 584:

quantaque quantast hinc nobis videatur in alto

(cf. Lucr. V, 465). Quibus omnibus locis Cicero et Lucretius ante oculos habuisse videntur En. an. 80:

. . . at Romulus pulcher in alto
quaerit Aventino, . . .

et an. 378:

isque Hellesponto pontem contendit in alto,

cuius clausulae Ennianae Vergilium quoque memorem fuisse verisimile est, cum Aen. VI, 436 scriberet:

. . . quam vellent aethere in alto
nunc et pauperiem et duros perferre labores.

Quae opinio eo commendatur, quod clausula etiam alterius versus *duros perferre labores* originis Ennianae esse videtur, cf. supra p. 7 adn. 1.

Ennius complures versus ita claudit, ut dativum pluralem alicuius adiectivi tertiae coniugationis in quinto hexametri pede locatum adiectivum *aptus* sequatur; cf. E. an. 339:

hinc nox processit stellis ardentibus apta

an. 159: caelum suspexit stellis fulgentibus aptum

an. 29: qui caelum versat stellis fulgentibus aptum

cum Lucretii VI, 357:

autumnoque magis stellis fulgentibus apta
concutitur caeli domus . . .,

quam clausulam quin Lucretius ex Ennio sumpserit non dubium est[1]). Neque negari potest Ciceronem quoque Ennii meminisse, cum scriberet Arat. 242 sq.:

tam magnos orbis magno cum lumine latos
vinctos inter se et nodis caelestibus aptos

praesertim cum versus Arateus Phaen. 467: [(sc. cernes)

αὐτοὶ δ' ἀπλατέες καὶ ἀρηρότες ἀλλήλοισι | πάντες,

nil verbis *caelestibus aptos* simile contineat.

Hic quoque versiculus Ennianus an. 472:

. . . caput a cervice revulsum

vix potest dubitari quin ante oculos versatus sit Lucretio, cum I, 35 scriberet:

. . . tereti cervice reposta

et Ciceroni frg. Arat. IX, 5 sq. (de nat. deor. II, 107):

obstipum caput at tereti cervice reflexum[2])
obtutum in cauda maioris figere dicas,

quocum conferas Arati Phaen. 58:

λοξὸν δ' ἐστὶ κάρη, νεύοντι δὲ πάμπαν ἔοικεν
ἄκρην εἰς Ἑλίκης οὐρήν . . .

Adde Cic. frg. Prognost. VI, 6 (de div. I, 8, 14):

. . . et fluctum cervice recepit.

Ciceronem Arati versum vertentem non Graeci poetae verba secutum esse sed Ennii vides. Posteriores quoque poetae ad Ennii exemplum sese applicavisse videntur, cum versus suos pariter claudant[3]).

Iam quaestione de versuum clausulis ad finem perducta sequitur ut disseramus

III. De versibus,

in quibus pangendis Ennii memores videntur fuisse Cicero et Lucretius.

Ac primum mihi liceat afferre observationem iam a Prollio l. l. p. 5 sqq. factam. Ennius enim Graeca verba plerumque

[1]) Cf. Pulligium l. l. p. 26, qui Vergilium quoque Ennii exemplum sequi et Aen. IV, 482. VI, 797. XI, 202 pariter claudere adnotat.

[2]) Cf. Verg. Aen. VIII, 633 . . . *tereti cervice reflexa* in versibus, quos ex Ennio expressos esse notum est.

[3]) Zingerleius l. l. II p. 8 neglectis his duobus locis Ciceronianis simile versuum exitus e Vergilii Ovidiique carminibus collegit.

ita adhibet, ut explicationem quandam Latinam adiciat. Huius dicendi consuetudinis Ennio Homerum, quem in multis aliis rebus auctorem eum habuisse cum multi viri docti tum Vahlenus [1]) et Skutschius [2]) exposuerunt, ansam dedisse Prollius recte iudicare videtur [3]). Si non omnibus in exemplis de voce Graeca agitur, tamen omnia eodem modo esse instituta videbimus. Praeter Ciceronem et Lucretium hunc morem imitati sunt Vergilius, Ovidius, Valerius Flaccus (cf. Prollium l. l. p. 6 sq.). Ennii exempla sunt haec:

an. 218: nec quisquam sophiam sapientia quae perhibetur
in somnis vidit prius quam sam discere coepit;

an. 147: et densis aquila pennis obnixa volabat
vento quem perhibent Graium genus aera lingua;

cf. etiam E. an. 2, 23, 356, 409. var. 54. Exempla Lucretiana haec fere sunt:

IV, 369: aër id quod nos umbram perhibere suëmus,
VI, 298: vertex, quem patrio vocitamus nomine fulmen,
VI, 424: presteras Graiei quos ab re nominitarunt,
VI, 701 sq.:
in summo sunt vertice enim crateres, ut ipsi
nominitant, nos quod fauces perhibemus et ora,

cf. Lucr. I, 830 sq.; II, 629 sq.; VI, 908 et multis aliis locis [4]). Quibus exemplis Ennianis Lucretianisque opponenda sunt haec, quae in Ciceronis Arateis eadem ratione sunt formata: frg. Arat. VI (de nat. deor. II, 105):

ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
altera dicitur esse Helice . . .,

---

[1]) In multis editionis Ennianae (Lipsiae 1903) adnotationibus.

[2]) In disputatione de Ennio l. l. V p. 2610, 58 sqq.

[3]) Cf. Hom. Il. I, 403
ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες | Αἰγαίων'
et Il. VI. 402
τόν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι | Ἀστυάνακτ'
vel Il. XVIII, 487
ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.
Theocriti locus Idyll. XII, 13 sq. similis est:
. . . ὁ μὲν ἴσπνιλος, φαίη χ' ὡμυκλαϊάζων,
τὸν δ' ἕτερον πάντως κεν ὁ Θέσσαλος εἴποι ἀίτην.

[4]) Cf. Lachmannum ad Lucr. III, 94 p. 145 sq.

frg. Arat. XII, 1 (de nat. deor. II, 108):
engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur,
frg. Arat. XIII (de nat. deor. II, 109):
quem claro perhibent Ophiuchum nomine Grai,
Arat. 221: . . . et hic Geminis est ille sub ipsis
antecanem, Graio Procyon qui nomine fertur,
quocum conferas Arati Phaen. 450:
καὶ μὴν καὶ Προκύων Διδύμοις ὕπο καλὰ φαείνει.

Cicero igitur sensu servato Arati verba dilatans ad Ennii exemplum explicationem *Graio Procyon qui nomine fertur* addit. Arat. 317 sqq.:

zodiacum hunc Graeci vocitant nostrique Latini
orbem signiferum perhibebunt nomine vero;
nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa,

quae Graece dicuntur Arat. Phaen. 544:
ζωϊδίων δέ ἑ κύκλον ἐπίκλησιν καλέουσιν,
de qua imitatione idem fere valet quod de antecedente.

Ciceronem et Lucretium celeberrimi quoque Ennii versus an. 334:

sollicitari te Tite sic noctesque diesque

meminisse concedes, si contuleris Cic. frg. Arat. III (de nat. deor. II, 104): cetera labuntur celeri caelestia motu
cum caeloque simul noctesque diesque feruntur
quae respondent sive potius non respondent Arati Phaen. 19 sq.:
οἳ μὲν ὁμῶς πολέες τε καὶ ἄλλυδις ἄλλοι ἐόντες [1])
οὐρανῷ ἕλκονται πάντ' ἤματα συνεχὲς αἰεί.

Neque dubium est, quin Cicero Enniani versus probe memor, cuius etiam in libro de senectute 1, 1 meminit, Arati verba mutaverit et Enniana locutione *noctesque diesque* in vertendo usus sit.

Similiter legimus apud Lucretium VI, 1160:

singultusque frequens noctem per saepe diemque
corripere adsidue nervos et membra coactans
dissolvebat eos . . .

---

[1]) Cicero in Arati textu, quem in manibus habebat, *ἰόντες* videtur legisse. Cf. Siegium, de Cicerone Germanico Avieno Arati interpretibus, diss. Halis 1886, p. 9.

Pro qua formula si in initio versus invenimus *noctes atque dies* et apud Lucretium II, 12; III, 62 et apud Vergilium VI, 127, ne hanc quidem locutionem ab Ennio prorsus alienam esse verisimile est, praesertim cum illud *noctesque diesque* quoque apud Vergilium occurrat (VI, 556).

Cum Cic. frg. 3, 1 sq.:

principio aetherio flammatus Iuppiter igni
vertitur et totum conlustrat lumine mundum

et Lucret. V, 510:

principio magnus caeli si vortitur orbis

contendas E. an. 211:

vertitur interea caelum cum ingentibus signis.

Quibus omnibus exemplis satis demonstrasse nobis videmur Ciceronem Lucretiumque studiosissimos Ennii sectatores fuisse atque multa ex poeta Rudino sumpta in usum suum vocasse. Priusquam autem ad alterum huius disputationis caput transeamus, breviter commemorare nobis liceat poetas nostros etiam in usu particulae *inde loci* cum Ennio consentire, cum hanc particulam in eodem quo Ennius versus pede ponant; cf. E. an. 22:

constitit inde loci propter sos dia diarum

Cic. Arat. 327:

umidus inde loci conlucet Aquarius orbe

Lucr. V, 791:

sustulit, inde loci mortalia saecla creavit.

Nunc ad propositum revertimur.

Caput II.

De Ennio et Cicerone[1].

I. De vocabulorum usu.

§ 1. Substantiva.

fax ab utroque poeta pro *sole* dicitur:

E. an. 434:

. . . interea fax
occidit oceanumque rubra tractim obruit aethra.

Cic. frg. 3, 20:

quid vero, ut Phoebi fax, tristis nuntia belli.

[1]) Quae Skutschius l. l. p. 2614, 41 sqq. observavit, meis inseram.

genitor Saturnius: hanc Iovis significationem legimus apud Ennium an. 456:

o genitor noster Saturnie, maxime divum[1])

et apud Ciceronem frg. 22, 17 sqq.:

hunc ubi tam teneros volucris matremque peremit,
qui luci ediderat genitor Saturnius idem
abdidit et duro formavit tegmine saxi.

Homerus loco illo, quem Cicero reddit, utitur verbis Κρόνου παῖς, cf. Il. II, 317 sqq.:

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ τέκν' ἔφαγε στρουθοῖο καὶ αὐτήν,
τὸν μὲν ἀρίζηλον θῆκεν θεός, ὅς περ ἔφηνεν·
λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.

Itaque Ciceronem hos versus vertentem Ennii memorem fuisse probabile est.

salum vocem Ennius et Cicero pro *mari* usurpant et in senarii fine ponunt: E. trg. 195: . . . undantem salum

Cic. frg. 42, 2:

nec tam aerumnoso navigavissem salo.

§ 2. Adiectiva.

altisonus, quod adiectivum Ennius finxerat, ut ὑψηχής redderet, adhibent En. an. 575, trg. 93, 215 et Cic. ep. frg. 19, 1[2]). In Ciceronis oratione soluta hoc adiectivum non exstat, praeterquam quod Tusc. III, 44 Ennii versus trg. 93 ab eo citatur.

obscurus, noctis epitheton ornans, invenitur apud Ennium trg. 303:

aliae res obnoxiosae nocte in obscura latent

et apud Ciceronem Arat. 404:

ipse autem praeceps obscura nocte tenetur.

Vergilius Aen. II, 420 idem epitheton *nocti* tribuit:

. . . si quos obscura nocte per umbram | fudimus

[1]) Ceterum Ennium in hoc versu alludere videri ad Eur. Tro. 1288 *Κρόνιε, πρύτανι Φρύγιε, γενέτα* monet Foersterus vir clarissimus.

[2]) Cf. Cic. Arat. 280; Catull. 64, 125 *clarisonus.* Cic. frg. 32, 3; Arat. 13; Lucr. V, 109 *horrisonus.* Lucr. II, 619; V, 1084; Catull. 64, 263 *raucisonus.* Vide Wilbertzium, de adiectivis poetarum Latinorum usque ad Catullum compositis, diss. Marburgi 1884; Seitzium, de adiectivis poetarum latinorum compositis, diss. Bonnae 1878.

§ 3. Verba.

ardere verbi participium praesentis ad Ennii exemplum Ciceronem adhibuisse verisimile est. Conferas E. an. 339: *stellis ardentibus*; Cic. Arat. 319 *ardentia signa* et ibid. 479 *ardentia lumina,* quam locutionem apud Vergilium quoque Aen. II, 405 in eodem versus pede invenimus.

effundere vel *fundere voces*: hanc locutionem ex Ennio fluxisse non temere conicias. Dicit enim Ennius an. 540:

effudit voces proprio cum pectore sancto[1]),

cuius versus Cicero fuisse memor videtur cum frg. Prognost. IV, 3 (de div. I, 8, 14) scriberet:

haud modicas tremulo fundens (sc. fulix) e gutture [voces;

quo versu reddit Arati verba Phaen. 914:

. . . φωνῇ περιπολλὰ λεληκώς

(sc. ἐρωδιός). Adde E. an. 530 *sonitus effundere* et Cic. frg. 32, 14 *clangorem fundere.*

eviscerare: participium perf. pass. huius verbi, quod apud Ciceronem in oratione soluta non adhibetur, nisi quod Ennii versus trg. 362 sq., quo ex versu Cicero hoc verbum hausisse videtur, Tusc. I, 107 et in oratione in Pisonem 43 citatur, legimus apud Ennium trg. 362:

. . . saxis fixus asperis evisceratus

et apud Ciceronem frg. 33, 29: . . . aspice

eviscerati corpus laceratum patris;

nihil autem simile habet quem Cicero vertit Soph. Trach. 1076 sqq. Ciceronem *saxis asperis* ex Ennio sumpsisse supra p. 5 demonstratum est.

Haec quoque locutio *corpus lacerare,* quam in versu Ciceronis modo citato invenimus, quin ex Ennio sit hausta vix dubitari potest. Compara enim E. trg. 73:

quid ita cum tuo lacerato corpore | miser es . . .

exanclandi[2]) verbum Ciceronem deprompsisse recte concludere mihi videor ex Ennii trg. versu 102:

quantis cum aerumnis illum exanclavi diem

---

[1]) *Voces effundere* apud Silium non raro invenitur, cf. Wezelium, de C. Silii Italici cum fontibus tum exemplis. Diss. Lipsiae 1873 p. 42.

[2]) Quintil. I, 6, 39 *exanclare* inter verba a veteribus usurpata numerat.

collato cum Cic. frg. 22, 27:

tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos.

Homerus eo loco (Il. II, 328) quem Cicero ita reddit, nil habet nisi πτολεμίξομεν.

nitescere, quod verbum Enniano exemplo de *caelo* dicitur, habet Ennius trg. 151 *(caelum nitescere),* et Cic. Arat. 173 sq.:

propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
exiguo qui stellarum candore nitescit.

Cicero in oratione soluta hoc verbum non adhibet, praeterquam quod Ennii versus trg. 151 sqq. afferuntur in Tusc. I, 69. Lucretius quoque Ennii memor fuisse videtur, cum I, 9 scriberet:

. . . nitet diffuso lumine caelum.

porgere formam contractam pro *porrigere* Ennius et Cicero usurpant idque ideo puto, quod haec metro magis idonea est. Ita Cic. Arat. 211:

hic dextram porgens, quadripes qua vasta tenetur.

Ennium autem similes formas adhibuisse tradit Servius, qui ad Aen. I, 26 haec ascripsit: *repostos et porgite de Ennio transtulit*; cf. praeterea Aen. VI, 655 *repostos* et Aen. VIII, 274:

. . . et pocula porgite dextris.

superare stellas dixit tertia persona usus E. trg. 216:

in . . . caeli clipeo temo superat[1]) | stellas

et Cic. Arat. 247:

nec pleno stellas superat cum lumine Luna[2])

solendi vocabuli participium *soliti* cum infinitivo verbi coniunctum legimus apud Ennium an. 221:

Poeni suos soliti dis sacrificare puellos

et Cic. Arat. frg. V (de nat. deor. II, 105):

quos nostri septem soliti vocitare triones[3]),

quem versum Arati verbis Cicero Ennii morem secutus, de quo supra p. 17 sqq. verba feci, adiecit.

---

[1]) Cf. Skutschium, Zu Ennius' Iphigenia, Mus. Rhen. 61, 605 sqq.

[2]) Hic quoque usus praepositionis *cum* esse Ennianus videtur; vide E. an. 51: *Vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.* an. 54: *tuo cum flumine sancto.* an. 444: *aquiloque suo cum flamine contra*; cf. Kruegerum l. l. p. 32.

[3]) Quo in versu memoria dignum est, quod tmesis quoque aliquid coloris antiqui habet; cf. E. an. 609: *saxo cere comminuit brum.*

II. De versuum clausulis Ennio et Ciceroni communibus.

Apud Ciceronem ter legimus vocem *nox* in versus fine:
Arat. 64: non hiberna cito volvetur curriculo nox
Arat. 189: hic tamen aeterno invisens loca curriculo nox
signa dedit nautis . . .
Arat. 475: . . . at contra signipotens[1] nox.

Quibus omnibus locis Ciceroni ante oculos versata esse videtur illa clausula Ennii an. 420: . . . unde oritur nox[2].

Neque dubito versibus
E. an. 1: Musae, quae — magnum pulsatis Olympum
an. 192: . . . pater optime Olympi.
Cic. frg. 3, 36:
nam pater altitonans stellanti nixus Olympo

inter se collatis quin Cicero etiam hoc loco Ennium sit secutus, quod eo verisimilius videtur, cum etiam *pater altitonans* Ennii memoriam redoleat. Vergilius quoque vocem *Olympus* saepius in versus fine ponit; cf. Aen. VI, 579, 586, 782, 834; XII, 634[3].

Ciceronis clausula frg. 52:
Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum

sumpta esse videtur ex Ennii an. 161, 412: [vim
. . . summa nituntur opum vi.

Ennium hoc loco Vergilio quoque praeisse constat; vide Aen. XII, 552: . . . summa nituntur opum vi
et Servium ad h. l. *hemistichium Ennianum*[4].

Neque a vero aberremus, si arbitremur Ciceroni in mentem venisse illius descriptionis Ennianae an. 443 sq.:
concurrunt veluti venti cum spiritus austri
imbricitor aquiloque suo cum flamine contra,

cum scriberet Arat. 99 sqq.:
at pars inferior Delphini fusa videtur
inter Solis iter, simul inter flamina venti,
viribus erumpit qua summi spiritus austri,

---

[1]) Ad Ennii exemplum esse fictum videtur; cf. *omnipotens* E. an. 458, trg. 177; *bellipotens* an. 181; *sapientipotens* an. 181.

[2]) De hexametris in monosyllabum exeuntibus cf. supra p. 15.

[3]) Cf. Nordenum l. l. p. 430.

[4]) Cf. Vahlenii edit. En. p. 29.

quae Graece dicuntur Phaen. 320 sq.:
. . . τὰ δὲ νειόθι τέλλεται ἄλλα
πολλά, μεταξὺ νότοιο καὶ ἠελίοιο κελεύθου

et Arat. 183 sq.:
inde Nepae[1]) cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus austri,
exiguo superum quae lumina tempore tranat[2]),

quibuscum conferas Arati Phaen. 402 sqq.:
αὐτὰρ ὑπ' αἰθομένῳ κέντρῳ τέραος μεγάλοιο
Σκορπίου, ἄγχι νότοιο, Θυτήριον αἰωρεῖται.
τοῦ δ' ἤτοι ὀλίγον μὲν ἐπὶ χρόνον ὑψόθ' ἐόντος | πεύσεαι . . .

Quibus versibus Ciceronis Aratique inter se comparatis Ciceronem Ennii memorem clausulam *spiritus austri* aliasque voces Ennianas adhibuisse et, ut dictionem Ennianam imitari posset, saepe Arati verba sensu servato neglexisse non temere concludere nobis videmur.

Eadem verba eandemque assonantiam vides horum in versuum fine: E. an. 156:
. . . tum candida lumina lucent
Cic. Arat. 37:
hac tenues parvo labentes lumine lucent
itemque E. an. 238:
consilio indu foro lato sanctoque senatu
Cic. frg. 3, 57:
tum fore ut occultos populus sanctusque senatus
cernere conatus posset . . .,

quam clausulam ex Ennio Vergilius quoque Aen. I, 426 repetivit:
iura magistratusque legunt sanctumque senatum.

---

[1]) *Nepam* quoque ex Ennio hausisse videtur Cicero, cf. frg. trg. 243.

[2]) Ciceroni Arati versum vertenti Ennii versum an. 21:
transnavit cita per teneras caliginis auras
ante oculos versatum esse verisimile est. Quod ad verba *superum lumina* pertinet, ea quoque Ennianae originis esse videntur; cf. supra p. 9 sq.

III. De versibus similibus.

Ciceroni versum frg. 22, 7 scribenti

quae Priamo cladem et Troiae pestemque ferebant

(sc. classes), quae Graece dicuntur Il. II, 304:

... κακὰ Πριάμῳ καὶ Τρωσὶ φέρουσαι (sc. νῆες),

obversatus esse videtur ille Ennii versus trg. 46:

eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.

Quae verba in Ciceronis versu exstant etsi multis talia excidere potuisse credideris, tamen putabimus Ciceronem Ennii memorem scripsisse, quae opinio confirmatur, si quae vocabula sibi vicina sint, apud Ennium *(exitium Troiae ∾ pestem Pergamo)* et apud Ciceronem *(Priamo cladem ∾ Troiae pestem)* respicimus, praesertim cum versu Graeco, in quo nihil legimus nisi κακά, non adduci posset, ut ita verteret.

Porro Ciceronem Marii auspicium (frg. 19) coloribus Ennianis e celeberrimo Romuli Remique auspicio haustis sed aliunde auctis depinxisse credo. Ille frg. 19, 9 sq.:

hanc (sc. aquilam) ubi praepetibus pinnis lapsuque
conspexit Marius, divini numinis augur, [volantem

hic an. 146 sq.:

olim de caelo laevum dedit inclutus signum
et densis aquila pennis obnixa volabat.

Ille frg. 19, 3 sq.: ... anguem
semanimum et varia graviter cervice micantem,

hic an. 472 sq.:

oscitat in campis caput a cervice revulsum
semianimesque micant oculi lucemque requirunt.

Cicero si non plures certe hos locos Ennii contaminavit. Praeterea conferas velim Ennii an. 91; 94; 95, ubi voces *praepes* vel *praepetibus*, quam Cicero l. c. cum ablativo *pinnis* coniunctam habet[1]), et verbum *conspiciendi* de auspiciis contuendis dictum in versus initio (cf. Cic. frg. 19, 10) occurrunt.

---

[1]) *praepetibus pinnis* etiam invenitur apud Vergilium Aen. VI, 15; quam locutionem ex Ennio esse sumptam Nordenus l. l. p. 124 et 367 affirmavit.

Verbo tenus fere Cicero sese applicavit ad Ennium hoc in versu: frg. 32, 2: ... aspicite religatum asperis
vinctumque saxis ...,

quocum contendas Ennii versus trg. 362:

ipse summis saxis fixus asperis evisceratus
latere pendens ...

Cicero cum sidus Equi describens dicit: Arat. frg. XXXII, 4 (de nat. deor. II, 111):

huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
summum contingit caput alvo ...,

quibus versibus respondent Arati Phaen. 205:

ἀλλ' ἄρα οἱ καὶ κρατὶ πέλωρ ἐπελήλαται Ἵππος
γαστέρι νειαίρῃ ...,

dilatavit verba Arati descriptione Enniana usus equi per campum fugientis an. 517:

celso pectore saepe iubam quassat simul altam.

Ciceronem aemulatum esse Ennium hoc quoque loco apparet Arat. 17:

quem veteres soliti caelestem dicere Nodum,

quo redditur Arati versus Phaen. 245:

ὅν ῥά τε καὶ σύνδεσμον ὑπούραιον[1]) καλέουσιν.

Ciceronem enim hunc Arati versum latine transferentem meminisse illius Ennii versus sat. 70:

quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum

quis non videt? Neque a vero aberrabimus, si eiusdem versus Enniani etiam memorem fuisse Ciceronem dicemus, cum hos versus Arat. 4 sqq.:

et prope conspicies parvum sub pectore claro
Andromedae signum, Deltoton dicere Grai
quod soliti ...

et Arat. 167:

exinde australem soliti quem dicere Piscem
volvitur inferior Capricorno versus ad Austrum

e Graeco transferret. In Graecis enim versibus Arati Phaen. 233 sqq.:

---

[1]) Cicero in Arati textu, qui ei praesto erat, ὑπουράνιον videtur legisse; cf. Mollium, Eine Studie über den Wert des Übersetzens aus Fremdsprachen. Progr. Schlettstadt 1891 p. 12.

ἔστι δέ τοι καὶ ἔτ' ἄλλο τετυγμένον ἐγγύθι σῆμα
νειόθεν Ἀνδρομέδης. τὸ δ' ἐπὶ τρισὶν ἐστάθμηται
Δελτωτὸν πλευρῇσιν . . .

et Phaen. 386 sqq.:

νειόθι δ' Αἰγοκερῆος, ὑπὸ πνοιῇσι νότοιο,
ἰχθὺς ἐς Κῆτος τετραμμένος αἰωρεῖται,
οἶος ἀπὸ προτέρων. Νότιον δέ ἑ κικλήσκουσιν

nil inveniri, quod sententiis relativis Ciceronianis respondeat, in propatulo est.

Altero capite huius quaestionis ad finem perducto quamvis reliquiae Ennii et Ciceronis sint paucae, satis multa, quibus, quantopere Tullius a poeta Rudino pendeat illustratur, in medium protulisse nobis videmur.

Caput III.

De Ennio et Lucretio.

I. De vocabulorum usu.

Atque primum quidem contemplemur

§ 1. Substantiva,

quae ex Ennio deprompsisse Lucretium verisimile sit.

bombus, vox rara, quae e Graeco fluxisse videtur, apud Ennium inc. 50, apud Lucret. IV, 544, apud Catull. 64, 263[1]) legitur.

carbasus i. e. *velum* habent E. an. 573. Lucr. VI, 109. Catull. 64, 227. Vergilius quoque exhibet hanc vocem Aen. III, 357; IV, 417.

custos corporis, quae locutio exstat apud Ennium trg. 255:

antiqua erilis fida custos corporis,

redit apud Lucret. III, 323 sq.:

haec igitur natura tenetur corpore ab omni,
ipsaque corporis est custos et causa salutis.

---

[1]) Catullum in ipso carmine 64 ad Ennium se applicavisse vel initium carminis docet cum celeberrimo Medeae Ennianae initio congruens (cf. Riese ad Catulli v. 1); ad *caerula* in v. 7 cf. supra p. 5 sq.

imber fit, habet E. an. 284. Lucr. VI, 517.

induperator pro *imperator*, quam formam Ennius hexametri causa ad vetustissima exemplaria novavit, Lucretius ex eo hausit; cf. E. an. 83, 326, 347. Lucr. IV, 967, V, 1227.

murus vocem uterque poeta per *oe* scriptam exhibet: E. an. 419:

Matronae moeros complent spectare faventes,

Lucr. IV, 220 et VI, 926: *exesor moerorum*; adde Verg. Aen. XI, 382 *agger moerorum* et Aen. X, 24 *aggeribus moerorum*[1]).

templa Lucretius VI, 1274 habet coniunctum cum *caelestum*, quam verborum copulationem Lucretius haud dubie Ennio debet. Neque enim a recta via deflectere nos censemus, si Lucretium illam locutionem e duabus Ennianis Var. 23 *plagas caelestum* et trg. 196 *templa caelitum* contaminasse concludimus, qua in re id simul assecutus est, ut formae *caelitum* hexametro non aptae vicem forma hexametro aptissima *caelestum* expleret.

tonsa i. e. *remus* habent E. an. 227, 230, 231, Var. 27. Lucr. II, 554; cf. Verg. Aen. V, 774, VII, 28, X, 299[2]).

Iam afferamus, ut nobis proposuimus,

§ 2. Adiectiva,

quibus in adhibendis alterum alterius vestigia pressisse pro certo haberi potest:

acer, *hiemis* epitheton, legitur apud Ennium an. 424:

aestatem autumnus sequitur, post acer hiemps it

apud L. VI, 372 sq.:

. . . autumni quod fertur nomine tempus,
hic quoque confligunt hiemes aestatibus acres.

---

[1]) Cf. Serv. ad h. l.: *Moerorum pro murorum antique: nam veteres pleraque eorum, quae nos per u dicimus, per oe dipthongon pronuntiabant. hinc est moerorum pro murorum et e contra punio pro poenio.*

[2]) Cf. Festum p. 356, 34 M. (Vahl. En. p. 41) *tonsam Ennius significat remum, quod quasi tondeatur ferro, . . .*

altivolans Ennius finxit, ut illud Homericum ὑψιπέτης vel ὑψιπετήεις redderet, quod epitheton Homerus *aquilae* tribuit (cf. Od. XX, 243, Il. XII, 201, Il. XIII, 822 αἰετὸς ὑψιπέτης et Od. XXIV, 538 αἰετὸς ὑψιπετήεις). Ennius quoque hoc adiectivo de *avibus*, at Lucretius, qui id ex Ennio sumpsit, de *sole* utitur. Cf. E. an. 81: . . . *servat genus altivolantum;* Lucr. V, 433: *rota solis altivolans.* Neque Hostii frg. 1, 1 (edit. Baehr. F.P.R. p. 138) clausulam *per gentis altivolantum* ab Ennii imitatione abesse recte iudicabimus[1].

blandus adi. coniungit Ennius cum substantivo *vox:*
an. 50: . . . lacrumans et blanda voce vocabam,
quae scribens Ennius fuisse memor videtur versus Homerici Il. XI, 137:

ὡς τώ γε κλαίοντε προσαυδήτην βασιλῆα
μειλιχίοις ἐπέεσσιν.

cf. etiam Od. IX, 363; X, 173.

Idem epitheton quod Ennius *voci* tribuit Lucretius VI, 1244:

blandaque lassorum vox mixta voce querellae.

Vergilium quoque Ennii meminisse verisimile est, cum scriberet Aen. I, 670:

nunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur
vocibus.

divinus adi. cum subst. *pectus* coniunctum apud Ennium et Lucretium easdem versus sedes obtinet:
E. an. 19: . . . divinum pectus habere
Lucr. I, 731: . . . divini pectoris eius

laetificus habet primus E. an. 574, trg. 152, deinde Lucr. I, 193; Sen. Troad. 596; Stat. Theb. VIII, 261; XII, 521.

lenis subst. *somnus* appositum apud utrumque poetam eisdem versus locis exstat:
E. an. 5: . . . somno leni placidoque revinctus
quo fortasse Ennius reddi voluit illud Homericum μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ (Il. X, 2; XXIV, 678).

---

[1]) Hostium imitatorem Ennii fuisse ut ex ipsa carminis materia elucet ita exemplis comprobavit Skutschius l. l. p. 2614, 27 sqq.

Apud Lucretium legimus IV, 1009:

accipitres somno in leni si proelia pugnas
edere sunt persectantes visaeque volantes.

magnus coniungunt Ennius et Lucretius cum substantivis *sonitus* et *vis,* quas verborum copulationes Ennius e Graeco transtulisse videtur (cf. Hom. Il. XXI, 256 μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ et Il. XXIV, 42 μεγάλῃ βίῃ). Dicit enim En. an. 485:

currus cum sonitu magno permittere certant,

Lucr. I, 288:

dat sonitu magno stragem, . . .

E. an. 232:

denique vi magna quadrupes eques atque elephanti
proiciunt sese

et E. an. 486:

cumque gubernator magna contorsit equos vi,

Lucr. II, 197: . . . nam quo magis ursimus alte
deiecta et magna vi multi pressimus aegre

purus, pectoris epitheton ornans, occurrit apud Ennium trg. 302:

ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat

et apud Lucretium V, 18:

at bene non poterat sine puro pectore vivi.

raucus adi. de *sonitu* dictum habent E. an. 520:

et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit

Lucr. IV, 544:

et reboat raucum regio cita barbara bombum,

cf. Lucil. frg. 605 *rauco sonitu*[1]).

terribilis adi. Ennius et Lucretius cum voce *sonitu* coniungunt: E. an. 140:

at tuba terribili sonitu taratantara dixit[2])

---

[1]) Numeri sunt editionis Marxianae.

[2]) Cuius versus memor fuit Vergilius Aen. IX, 503:
at tuba terribilem sonitum procul aere canoro | increpuit.

Lucr. VI, 155:
terribili sonitu *flamma crepitante crematur* [1]).

Sed haec de adiectivis. Sequitur, ut etiam proferamus

§ 3. Verba,

quorum in usu Lucretium ab Ennio pendere putemus.

agere spumas: huius locutionis eandem formam exhibent: E. an. 518: (equus)
spiritus ex anima calida spumas agit albas.
Lucr. III, 489:
concidit et spumas agit . . .

caedere ferro prima persona usus uterque poeta dicit:
E. an. 127: . . . quianam legiones caedimus ferro
Lucr. VI, 314:
ut, lapidem ferro cum caedimus, evolat ignis.

condere membra habent E. an. 139:
heu quam crudeli condebat membra sepulcro,
Lucr. V, 956:
et frutices inter condebant squalida membra.

ferratus, quod participium adiectivorum more adhibitum ex Ennio esse sumptum videtur, habent E. an. 266:
. . . postquam Discordia taetra
belli ferratos postes portasque refregit [2]),
Lucr. VI, 551:
ferratos utrimque rotarum succutit orbes;
huc adde Verg. georg. III, 361:
undaque iam tergo ferratos sustinet orbis.

---

[1]) Hunc versiculum imitatur Vergilius Aen. VII, 74:
atque omnem ornatum *flamma crepitante cremari*
nisi forte uterque sua hausit ex Ennio, quae opinio commendatur allitteratione *crepitante cremari*.

[2]) Cf. Verg. Aen. VII, 622 (Vahl. E. p. 47):
belli ferratos rumpit Saturnia postes.

furere de *vento* dictum exhibent E. a. 594:
. . . furentibus ventis [1])
Lucr. VI, 685 sqq.:
ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër;
hic ubi percaluit calefecitque omnia circum
saxa furens,
cf. Lucr. I, 275: . . . ita perfurit acri
cum fremitu saevitque minaci murmure ventus.

incutere verbi usum Lucretius ex Ennio assumpsisse videtur; cf. E. an. 512: . . . dictis Romanis incutit iram
Lucr. VI, 593: . . . et incutit inde tremorem,
cf. etiam Lucr. I, 19, 924 incutere amorem.

lavere [2]) pro *lavare* habent secundum morem antiquum
En. an. 155:
exin Tarquinium bona femina lavit et unxit
trg. 131: . . . lavere lacrimae salsum sanguinem
trg. 202: . . . pergunt lavere sanguen sanguine
trg. 311: strata terrae lavere lacrumis
et L. V, 949 sq.: . . . quibus e scibant umori' fluenta
lubrica proluvie larga lavere umida saxa
VI, 800: plenior et laveris

mussare habent E. an. 182, 344, 446, trg. 421. L. VI, 1179.

non quire pro *nequire* metri causa positum exhibent
E. trg. 273:
qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequiquam [sapit
Lucr. V, 1342:
non quierint animo praesentire atque videre
Lucr. VI, 855:
non quierit calidum supera de reddere parte
Lucr. III, 646:
mobilitate mali non quit sentire dolorem.

---

[1]) Eandem fere clausulam habet Verg. Aen. II, 304
in segetem veluti cum flamma furentibus austris | incidit;
Vergilio Ennii verba mutanda erant, quod veterem prosodiam *furentibu' ventis* adhibere non iam ei licuit.

[2]) Cf. Prollium l. l. p. 30 sq.

oriri: Lucretius ad Ennii exemplum huius verbi gerundivum in *iundus* exiens in versus fine ponit. Hac clausula utuntur Ennius ter:

an. 113: o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum[1])
an. 220: . . . Poenos Sarra oriundos
an. 290: . . . Poenos Didone oriundos

et semel Lucretius II, 991:

denique caelesti sumus omnes semine oriundi.

Quem versus exitum ex Ennio deprompsisse Lucretium verisimile est, sed synizesis haec sane ab Ennio aliena.

oscitandi verbi formam *oscitat* initio versus positam legimus apud Ennium an. 472:

oscitat in campis caput . . .

et apud Lucr. III, 1065:

oscitat extemplo . . .

quassare et quatere Lucretius ad Ennii exemplum adhibuisse videtur[2]); (cf. supra p. 27 et infra p. 40.) vide E. an. 186, 224, 277, 405, 517. Lucr. II, 330, 632, 1164. III, 434, 451. IV, 587. VI, 96, 388.

receptare uterque poeta eadem persona usus in versus fine locat: E. an. 9: . . . cortina receptat
Lucr. III, 505: . . . animamque receptat
Lucr. II, 1001: . . . templa receptant.

reponere vel *ponere*: Lucretius ad Ennii exemplum huius verbi participium perf. pass. per syncopam format, ut verbum in versu hexametro locari possit: cf. Lucr. III, 346:

alvoque reposta

et I, 35, 1059. III, 871. VI, 965. Sil. Ital. III, 90[3]). De Ennio testatur Servius ad Aen. I, 26 (cf. supra p. 23).

[1]) Cuius versus Lucretium etiam alio loco meminisse infra demonstrabitur.

[2]) Cf. Bergkii Kleine phil. Schriften ed. R. Reppmüller, Halis 1884, I, p. 233.

[3]) Kruegerus l. l. p. 8 exempla ex Vergilio collegit.

ridere uterque poeta metaphorice adhibet tempestatis hilaritatem describens:

E. an. 457: Iuppiter hic risit tempestatesque serenae
riserunt omnes risu Iovis omnipotentis[1]),
L. V, 1395: praesertim cum tempestas ridebat,
L. II, 32: praesertim cum tempestas adridet.

scatere de fonte habent E. trg. 155 (cf. supra p. 10) et Lucr. V, 598. VI, 891.

sincere vel *sincerum sonere*: hanc locutionem Lucretium ab Ennio esse mutuatum eo probabilius videtur, cum uterque verbum *sonandi* tertiae coniugationi addicat:

E. trg. 106: . . . neque blandi quicquam sincere sonunt.
L. III, 873: scire licet non sincerum sonere,
cf. L. III, 156. E. an. 363, 389, trg. 181.

spargere vel *conspargere tabo* habent

E. trg. 363: . . . saxa spargens tabo sanie et sanguine atro
L. III, 661: . . . et terram conspargere tabo.

Huius loci Enniani Vergilius quoque meminisse videtur, cum scriberet Aen. III, 28: . . . huic atro liquuntur sanguine guttae
et terram tabo maculant

et Aen. VIII, 487: . . . et sanie taboque fluentis
complexu in misero longa sic morte necabat.

stridere de *ferro* dictum et ab utroque poeta tertiae coniugationi attributum exstat apud Ennium an. 363:

. . . et ferri stridit acumen

et apud Lucretium VI, 148 sq.:

ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
stridit.

saepiendi verbi usum Lucretius ex Ennio assumpsisse videtur:

E. trg. 93: saeptum altisono cardine templum
E. trg. 330: . . . squalida saeptus stola
E. trg. 339: . . . saeptus mendici stola

[1]) Hic versus ante oculos erat Vergilio Aen. I, 254 et Ovidio Fast. IV, 5. cf. Zingerleium l. l. II, p. 9.

L. V, 1440: iam validis saepti degebant turribus aevom[1])
et VI, 1148: ... et ulceribus vocis via saepta coibat

tollere clamorem exhibent E. an. 442 et Lucr. IV, 1014.

vomere et *intervomere*: his verbis Ennius et Lucretius simili modo utuntur:

E. an. 142: ... et Tiberis flumen vomit in mare salsum
L. VI, 894: quod dulcis inter salsas intervomit undas.
Huc adde Verg. georg. II, 462:
mane salutantum totis vomit aedibus undam
et Macrobii (Sat. VI, 4, 3) ad h. l. adnotationem: *Pulchre vomit undam, et antique, nam Ennius ait: et Tiberis e. q. s.*

Haec fere de vocabulorum apud utrumque poetam usu sunt disserenda. Priusquam autem ad versuum exitus, qui poetis sunt communes, transeamus, commemorare nobis liceat Lucretium tmesi quoque uti, ut verbum in versu heroico poni possit. Ex exemplis quae collegimus, nonnulla proferamus: Lucr. III, 484 *inque pediri,* IV, 562 *vox inque pedita,* IV, 1149 *inque peditus,* VI, 394 *inque peditur,* IV, 1250 *inque gravescunt,* IV, 713 *inque tueri,* I, 452 *seque gregari,* I, 651 *disque supatis,* V, 634 *praeterque feruntur,* V, 1268 *perque forare,* ac multis aliis locis. Praeiit autem Lucretio hac quoque in re Ennius, qui eadem necessitate coactus scripsit an. 381:

Hannibal audaci cum pectore de me hortatur[2]).

Iam agendum est

II. De versuum clausulis,

in quibus Ennius et Lucretius talem similitudinem exhibent, ut eas ex Ennio fluxisse pro certo dici possit.

Lucretio IV, 200 scribenti: ... solis uti lux
obversata esse videtur illa Ennii clausula an. 90:
exin candida se radiis dedit icta foras lux[3]).
Cum Ennii an. 564: ... carinantibus edere chartis
conferas Lucr. IV, 970: ... patriis exponere chartis.

[1]) *degere aevum* est Ennianum. cf. Pulligium l. l. p. 40.

[2]) Ex Ennio sine dubio Lucilius *non est quod quaeras eque labores, deque petigo* et similia (cf. Marx ad v. 376).

[3]) De hexametris in monosyllaba desinentibus vide supra p. 15.

Lucretii exitus V, 1336: ... terrore tumultu
non dissimilis est Ennii an. 310: ... terra tumultu.
Neque has Lucretii clausulas
III, 176: corporeis quoniam telis ictuque laborat
IV, 1099. V, 1430: ... frustraque laborat
VI, 396: ... frustraque laborant
I, 849: ... aequeque laborant
imitatione Enniana carere facile intelleges, si cum his contuleris Ennii clausulam an. 406:
totum sudor habet corpus, multumque laborat.
Ennius vocem *parumper* quinquies in versus fine (an. 53, 71, 208, 455, 587) ponit atque duobus locis ita ut cum praecedente voce allitterationem faciat:
an. 71: ... passu permensa parumper
et an. 455: ... postquam permensa parumper.
Eandem vocem eandemque allitterationem in versus exitu habes apud Lucretium IV, 1116: ... pausa parumper
et apud Vergilium Aen. VI, 382: pulsusque parumper.
Neque incredibile est et Lucretium et Vergilium, qui in multis rebus Ennium secutus sit, illas clausulas Ennii memores scripsisse. Deinde cum Ennii an. 142:
... flumen vomit in mare salsum
compares Lucr. III, 493: quasi in aequore salso
et Lucr. III, 784; V, 128: ... non aequore salso
vel Lucr. VI, 634: ... manare ex aequore salso.
Adiectivum *salsus* Lucretium ex Ennio deprompsisse Pulligius l. l. p. 37 nos docuit. Cum igitur Ennius *aequora salsa* (trg. 367) et semel *aequora* (an. 137) in quinto hexametri pede exhibeat, totam clausulam Lucretianam e poeta Rudino esse sumptam non sine probabilitate conici potest.

Sed ut revertatur, unde deflexit, oratio, hos quoque versuum fines iure comparari posse censemus:
E. an. 41: Postilla, germana soror, errare videbar
L. III, 105: magno opere in quo mi diversi errare videntur;
E. an. 84: ... veluti consul cum mittere signum
L. I, 882: ... franguntur, mittere signum;
E. an. 23: est locus Hesperiam quam mortales perhibebant
E. an. 409: ..., mortalibus quae perhibentur
E. an. 218: ..., sapientia quae perhibetur.

Quibuscum conferas
L. III, 597: ... male factum cum perhibetur
et L. IV, 650: ... foramina quae perhibemus.
E. an. 386: ... volat super impetus undas[1])
L. VI, 728: ... fiat minus impetus undis.
E. an. 197: vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors virtute experiamur ...
L. III, 983: ... casumque timent quem cuique ferat fors.
E. sat. 3: ... contemplor
inde loci liquidas pilatasque aetheris oras
L. V, 683: ... amfractibus aetheris oras,
huc adde Lucr. II, 1000:
... et quod missumst ex aetheris oris,
cum etiam sequentis versus clausula *templa receptant* in memoriam nobis revocet illud Ennii *cortina receptat.* (cf. supra p. 34)

Iam vero agamus tertio loco

III. De similibus versibus.

E. an. 482: haud temere est quod tu tristi cum corde gu- [bernas[2])
L. VI, 1233: deficiens animo maesto cum corde iacebat.
E. an. 459: iam cata signa fere sonitum dare voce parabant
quocum compares Lucr. V, 1043:
... nam cur hic posset cuncta notare
vocibus et varios sonitus emittere linguae.
Locutio *sonitum dare vocibus* etiam invenitur apud Varronem Atacinum, quam haud dubie ex Ennio sumpsit; cf. frg. 12, 2 (Baehr. F. P. R. p. 334):
et septem aeternis sonitum dare vocibus orbes
nitentes aliis alios.
E. an. 344: ... quae denique causa
pugnandi fieret aut duri finis laboris,
L. III, 943: non potius vitae finem facis atque laboris.

[1]) Cuius versus meminisse videtur Furius Antias, cum scriberet: frg. 4 (Baehr. F. P. R. p. 277): ... volitat super aequora classis.
[2]) cf. Verg. Aen. VI, 185:
atque haec ipse suo tristi cum corde volutat.

Cum Ennii trg. 237:
... ibi mentem atque animum delectat suum
contendas Lucr. III, 139:
... quod nos animum mentemque vocamus.
Huc adde L. III, 142: ... hic ergo mens animusquest
L. I, 74: ... peragravit mente animoque
et Verg. Aen. VI, 11:
... magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates aperitque futura.

Ennii versus an. 572:
... pes premitur pede et armis arma teruntur
Lucretio ante oculos versatus esse videtur, cum scriberet:
I, 884: cum lapidi lapidem terimus ...
et II, 1115: ... et ignem ignes procudunt aëraque aër.
Si minus Lucretius in his versibus voces Ennianas adhibet, at certe figuram ex Ennio eum sumpsisse verisimile est. Posteriores poetae Ennii versum saepius sunt imitati[1]).

Neque in eis versibus, in quibus alter Romulum, alter Epicurum laudibus effert, videtur Lucretius Ennii immemor fuisse: cf. E. an. 111 sqq.: ... o Romule, Romule die,
qualem te patriae custodem di genuerunt!
o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum!
tu produxisti nos intra luminis oras[2])
et Lucr. III, 9 sqq.:
tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis
suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis,
floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
omnia nos itidem depascimur aurea dicta[3]),
aurea, perpetua semper dignissima vita.
Quibus versibus aliquid coloris Enniani inesse nemo negaverit (cf. E. an. 146, ubi adiectivum *inclutus,* quod ex Ennio fluxisse Pulligius l. l. p. 35 demonstravit, et an. 564, ubi forma *chartis*

[1]) Cf. Wezelium l. l. p. 20 et Skutschium l. c. 2616, 17 et 2617, 47 sqq.
[2]) Cf. Lucr. I, 22: ... dias in luminis oras,
vide Pulligium l. l. p. 26.
[3]) Usus vocis *dictum,* quae apud Ennium et apud Lucretium saepissime invenitur, esse Ennianus videtur; cf. E. an. 216, 314, 529. Lucr. I, 28, 103, II, 987.

etiam in versus fine legitur). Vox *pater* hic non est nomen necessitudinis sed reverentiae atque religionis[1]).

Lucretium ad hanc quoque descriptionem II, 323 sqq.:

praeterea magnae legiones cum loca cursu
camporum complent, belli simulacra cientes,
fulgor ibi ad caelum se tollit, totaque circum
aere renidescit tellus, supterque virum vi
excitur pedibus sonitus, clamoreque montes
icti reiectant voces ad sidera mundi,
et circum volitant equites mediosque repente
tramittunt valido quatientes impete[2]) campos

aliquid coloris illius antiqui adhibuisse et voces quasdam ab Ennio deprompsisse probabile est. Contende enim hos locos Ennianos:

an. 224: explorant Numidae totum: quatit ungula terram
an. 276: Marsa manus, Paeligna cohors, Vestina virum vis[3])
an. 277: consequitur. summo sonitu quatit ungula terram
an. 442: tollitur in caelum clamor exortus utrisque
an. 531: clamor ad caelum volvendus per aethera vagit.

Neque incredibile est Lucretium hos versus Ennii an. 136 sq.:

quande tuas omnes legiones ac popularis
. . . tractatus per aequora campi

ante oculos habuisse, cum scriberet II, 40:

si non forte tuas legiones per loca campi
fervere cum videas.

Ceteri autem versus, in quibus alterum ab altero pendere facile concedas, hi fere sunt:

E. var. 46: frigori miscet calorem atque humori aritudinem
L. VI, 371: et calor extremus primo cum frigore mixtus
volvitur,
E. an. 145: . . . nautisque mari quaesentibus vitam
L. V, 1080: . . . in salso victum vitamque petentes.
E. an. 210: certando prudens animam de corpore mitto
L.III,1033: lumine adempto animam moribundo corpore
[fudit.

1) Horat. Sat. I, 3, 126: . . . non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat.

2) De hac ablativi forma recte iudicare videtur Kuehnius l. l. p. 11.

3) Cf. Pulligium l. l. p. 28 sq.

E. trg. 280: . . . Sol, qui candentem in caelo sublimat facem
L. V, 976: dum rosea face sol inferret lumina caelo.

Neque dubitamus, quin Lucretius, cum hos versus scriberet:

VI, 96: principio tonitru quatiuntur caerula caeli[1])
VI, 357: autumnoque magis stellis fulgentibus apta
concutitur caeli domus
VI, 387: quod si Iuppiter atque alii fulgentia divi
terrifico quatiunt sonitu caelestia templa

memoria tenuerit illum Ennii versum trg. 380:

qui templa caeli summa sonitu concutit,

qui quam celeber fuerit, etiam ex imitatione Terent. Eunuch. 590:

at quem deum! qui templa caeli summa sonitu
[concutit[2])

licet cognoscere.

Cum Lucretii III, 57 sq.

nam verae voces tum demum pectore ab imo[3])
eiciuntur

et IV, 547: hasce igitur penitus voces cum corpore nostro
exprimimus,

contendas velim E. an. 540:

effudit voces proprio cum pectore sancto,

cuius versus Enniani Vergilius quoque fuisse memor videtur, cum scriberet:

Aen. V, 482: ille super talis effundit pectore voces
et Aen. VIII, 70: . . . ac talis effundit ad aethera voces;

huc adde Verg. Aen. V, 723 et Aen. V, 780:

adloquitur talisque effundit pectore questus.

Catulli quoque versus 64, 125:

clarisonas imo fudisse e pectore voces

et 64, 202: has postquam maesto profudit pectore voces

imitatione Enniana non carere recte iudicabimus.

1) Huius versus clausula est sumpta ex Ennii an. 65:
unus erit quem tu tolles in caerula caeli | templa.

2) Cf. Pulligium l. l. p. 6.

3) Quem exitum *pectore ab imo,* cum bis apud Vergilium Aen. I, 485 et VI, 55 et semel apud Catullum 64, 198 occurrat, qui a Lucretio non pendet (cf. Nordenum l. l. p. 138 et Iessenum, Über Lucrez und sein Verhältnis zu Catull und Späteren, Kiel 1872), e communi fonte, i. e. ex Ennio fluxisse arbitror. Contra Munrous ad Lucr. III, 57 Catullum ad Lucretium sese applicasse putat.

Hos autem versus Lucretius integros vel leviter commutatos ex Ennio deprompsit. Vide E. an. 323 *lychnorum lumina bis sex,* quod fragmentum Vahlenus[1]) non male ita supplevisse videtur: florebant flammis lychnorum lumina bis sex, quocum deinde conferas Lucr. IV, 450:

bina lucernarum florentia lumina flammis;

E. an. 561 sq. haec habet:

non si lingua loqui † saperet at ora decem sint
† in metrum ferro cor sit pectusque revinctum,

quam dicendi consuetudinem Ennius repetivit ex Homeri Il. II, 489 sq.:

οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Ennii versui non dissimiles sunt Lucr. VI. p. v. 839:

non mihi si linguae centum sint oraque centum,
aerea vox

(ad quem locum Lachmanni comment. ad VI, 830 p. 399 consulas) et Hostii frg. 5 (Baehr. F.P.R. p. 139):

. . . non si mihi linguae
centum atque ora sient totidem vocesque liquatae.

Quo non refellitur Macrobius Sat. VI, 3, 6 et Servius ad Aen. VI, 625, qui et Hostium et Lucretium esse secutos Homerum dicunt; verba enim Lucretiana *aerea vox* et Hostiana *vocesque liquatae* Homericum quiddam exprimunt, quod Ennius intactum reliquit Illi igitur praeter Ennium Homerum quoque, a quo Ennium pendere sciebant, evolverunt.

Similiter legimus apud Vergilium georg. II, 43 et Aen. VI, 625:

non mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea vox,

ad quem locum Servius adnotat: *Lucretii versus sublatus de Homero, sed aerea vox dixit*[2]).

Lucretii IV, 409:

vix etiam cursus quingentos saepe veruti

sumptus est ex Ennii an. 353:

. . . cursus quingentos saepe veruti.

---

[1]) in relat. acad. Berol. a. 1896, p. 720 sq.

[2]) De toto hoc dicendi genere vide Vahlenum E. p. 103; Iahnii comment. ad Persii Sat. V, 1; Hertzium opusc. Gell. p. 165 sq.; Licentium in Baehr. F. P. R. p. 418, v. 132 sqq.

Caput IV.

De Cicerone et Lucretio.

Quoniam de toto hoc comparandi genere, quod e duobus imitatoribus auctorem primarium recuperare studet, in totius opusculi prooemio dixi, nolo idem in parte operis praefari. Illinc igitur legentes repetant, quantis dubitationibus hoc caput obnoxium esse ipse concedam.

I. De vocabulorum usu.

Atque primum quidem contemplemur

§ 1. Substantiva,

quae e communi fonte fluxisse verisimile est.

aplustra[1]), quod nomen Cicero in oratione soluta non adhibet, legitur in frg. Arat. XXV:

navibus absumptis fluitantia quaerere aplustra

et apud Lucretium II, 552 sqq.:

sed quasi naufragiis magnis multisque coortis
disiectare solet magnum mare[2]), transtra, guberna,
antemnas[3]), proram, malos, tonsasque natantis,
per terrarum omnis oras fluitantia aplustra.

Eadem fere descriptio invenitur apud Sil. Ital. X, 321 sqq.:

sic Lagea ratis, vasto velut insula ponto
conspecta, illisit scopulis ubi nubifer Eurus,
naufragium spargens operit freta. iamque per undas
et transtra et mali laceroque aplustria[4]) velo
ac miseri fluitant revomentes aequora nautae.

Silium autem cum permultis locis Ennii memorem fuisse Wezelius l. l. p. 17 sqq. nos docuerit, huic quoque descriptioni Silii et Lucretii colorem Ennianum inesse conici potest.

---

[1]) Cf. Linderbauer, de verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione, Metten 1892 I, p. 58.

[2]) Locutionem *magnum mare* ex Ennio esse sumptam a Lucretio Pulligius l. l. p. 35 sq. demonstravit.

[3]) De hoc vocabulo vide Linderbauer l. c. p. 58.

[4]) Cf. E. an. 602 *aplustria* et Priscian VII, p. 351, 1 H. *et aplustra enim et aplustria antiqui protulisse inveniuntur.*

caeli caverna, quae locutio in Ciceronis oratione soluta non legitur, habet Cic. Arat. 252:

dicitur et late caeli lustrare cavernas

et Lucr. IV, 170 sq. et VI, 251 sq.:

undique uti tenebras omnis Acherunta rearis
liquisse et magnas caeli complesse cavernas.

Cicero et Lucretius hac locutione utuntur, ut caeli cavationem depingant, quam e communi fonte fluxisse probabile est, praesertim cum Ennius similem exhibeat imaginem: trg. 381 *caeli ingentes fornices.* Huc adde Cic. frg. 3, 5:

aetheris aeterni saepta atque inclusa cavernis

et Lucr. IV, 391:

sidera cessare aetheriis adfixa cavernis
cuncta videntur.

solis orbis, quod ad Enniani *rota candida* i. e. *solis* (cf. supra p. 4) exemplum formatum esse videtur, easdem versus sedes obtinet apud Cic. Arat. 73:

. . . Sagittipotens Solis cum sustinet orbem,

quocum conferas Arati Phaen. 301:

Τόξον ὅτ' ἠέλιος καίῃ καὶ ῥύτορα Τόξου,

et apud Lucret. V, 765 sq.:

tempore eodem aliud nequeat succurrere lunae
corpus vel supra solis perlabier orbem.

Cicero quod pro simplici ἠέλιος, quod Aratus habet, periphrasin adhibet, usus esse videtur frustulo Enniano, Ennius autem *solis orbem* e Graeco κύκλος ἡλίου, quod saepius habent tragici, transtulisse.

caeli tegmen exhibent Cic. Arat. 346:

certas ipse notas caeli de tegmine sumens,

Arat. 239: amplexi terras caeli sub tegmine fulti

et Lucr. V, 1016:

non ita iam possent caeli sub tegmine ferre

I, 988: nec res ulla geri sub caeli tegmine posset.

Sed etiam in versus fine haec verborum copulatio invenitur:

Cic. Arat. 47: . . . lato sub tegmine caeli,

L. II, 662: . . . eodem[1]) sub tegmine caeli.

1) Synizesis quoque Ennium redolet (cf. Skutsch, Festschr. f. Fick, p. 148 sq.).

§ 2. Adiectiva.

Adiectiva, quae Cicero et Lucretius eodem modo fortasse ad idem exemplar usurpant, haec fere sunt:

aduncus vel *uncus unguibus* tribuitur. Cic. frg. 32, 11:

tristi advolatu aduncis lacerans unguibus,

L. V, 1322: morsibus adfixae validis atque unguibus uncis.

aestifer, quod adiectivum in Ciceronis oratione soluta non adhibetur, coniungunt cum voce *ignis* Cic. Arat. 111:

aestiferos validis erumpit flatibus ignes

et L. I, 663: aestifer ignis uti lumen iacit atque vaporem.

aetherius adi. cum subst. *ignis* coniunctum habent Cic. frg. 3, 1 *aetherio igni* et Lucr. II, 1098 *ignibus aetheriis.*

coruscus de *lumine* vel *fulmine* dictum habent Cic. frg. 33, 31: iace, obsecro, in me vim coruscam fulminis, Lucr. VI, 283 *coruscis luminibus,* cf. Lucr. V, 295. VI, 203. Cicero hoc adiectivum nisi hoc uno loco non adhibet.

divinus adi. substantivis *mens* et *numen* appositum ab utroque poeta in eisdem versus pedibus locatur[1]):

Cic. frg. 3, 10: . . . divina mente notata
Lucr. III, 15: . . . divina mente coorta
Cic. frg. 19, 10: . . . divini numinis augur[2])
Cic. frg. 29, 8: . . . divino numine vexit
Lucr. I, 154, VI, 91: . . . divino numine rentur.

horrificus exstat apud Cic. Arat. 122, apud Lucr. II, 609; III, 906. Cf. E. trg. 96 regificus.

ignifer uterque poeta voci *aether* addit: Cic. Arat. 88:

igniferum mulcens tremebundis aethera pinnis[3])

L. V, 498: . . . inde aether ignifer ipse.

1) Cf. supra p. 30.
2) Ciceronem hoc in versu Ennii memorem fuisse iam supra p. 26 illustrare conati sumus.
3) Quo in versu iam complura frustula Enniana notavimus supra p. 10 et 12 sq.

magnus adi. Cicero et Lucretius cum ablativis *pondere* et *viribus* coniungunt:

Lucr. V, 556: . . . magno pondere nobis
Lucr. VI, 549: . . . magno pondere tota
Cic. Arat. 132:
obvertunt navem magno cum[1]) pondere nautae,

quocum contendas Arati Phaen. 346:

. . . τὴν δ' αὐτίκα πᾶς ἀνακόπτει | νῆα.

Quamquam verba *magno cum pondere* non inusitata sunt, tamen commotus sum, ut ea hic afferrem, quod Cicero Arati versu haec verba addere coactus non est. — Locutio *magnis viribus* invenitur:

Lucr. V, 819: . . . magnis viribus auras
Cic. Arat. 146: . . . magnis cum viribus amnem[2]).

nocturnus adi. cum subst. *tempus* coniunctum easdem versus sedes obtinet his locis: Lucr. IV, 1008: (volucres)

sollicitant divom nocturno tempore lucos

et VI, 849: . . . nocturno tempore fertur,
Cic. frg. 3, 26: . . . nocturno tempore visae.

Huc adde Cic. Arat. 245 sqq.:

at si nocturno convisens tempore caelum,
cum neque caligans deterget sidera nubes
nec pleno stellas superat cum lumine Luna[3]),
vidisti magnum candentem serpere circlum:
lacteus hic nimio fulgens candore notatur,

quae Graece dicuntur Phaen. 469 sqq.:

εἴ ποτέ τοι νυκτὸς καθαρῆς, ὅτε πάντας ἀγαυούς[4])
ἀστέρας ἀνθρώποις ἐπιδείκνυται οὐρανίη Νύξ,
οὐδέ τις ἀδρανέων φέρεται διχόμηνι σελήνῃ,
ἀλλὰ τά γε κνέφαος διαφαίνεται ὀξέα πάντα.

---

[1]) Praepositio *cum* ad Ennii exemplum adhibita esse videtur, cf. supra p. 23, adn. 2.

[2]) Cf. *validis viribus*, quam locutionem ex Ennio esse sumptam supra p. 10 demonstratum est.

[3]) *Stellas superat* Ciceronem ex Ennio deprompsisse supra p. 23 notavimus.

[4]) Cicero alio loco *νὺξ καθαρά* locutione Enniana *nox serena* vertit; cf. supra p. 9.

εἴ ποτέ τοι τῆμόσδε περὶ φρένας ἵκετο θαῦμα
σκεψαμένῳ πάντη κεκεασμένον εὐρέι κύκλῳ
οὐρανόν, ἤ καί τίς τοι ἐπιστὰς ἄλλος ἔδειξεν,
κεῖνο περιγληνὲς τροχαλόν — Γάλα μιν καλέουσιν.

Videmus igitur Ciceronem Arati versus contraxisse et in vertendo voces Ennianas adhibuisse.

pulverulentus versus initio positum Cic. Arat. 25; Lucr. V, 742. Apud Vergilium quoque hoc adiectivum versus initio occurrit Aen. VII, 625:

pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt,

cuius versus clausula est sumpta ex Ennii an. 186:

. . . omnes arma requirunt.

Itaque verisimillimum est adiectivum *pulverulentus* et ex Ennio esse depromptum et apud eum eodem loco exstitisse.

semifer legimus in eodem versus pede Cic. Arat. 59:

corpore semifero magno Capricornus in orbe

et apud Lucr. IV, 587 (quo in versu iam alia invenimus Enniana):

pinea semiferi capitis velamina quassans (sc. Pan);

cf. Verg. Aen. VIII, 267 et X, 212, ubi formae eaedem *semiferi* et *semifero* in eodem quo apud Ciceronem et Lucretium pede exstant.

signifer adi. cum voce *orbis* coniungunt Cic. Arat. 318:

orbem signiferum perhibebunt nomine vero[1])

et Arat. 362: quattuor hic obiens secum deducere signa
signifero solet ex orbi
et L. V, 691: propter signiferi posituram totius orbis.

terrigenus versus initio ponunt Cic. frg. 53 et Lucr. V, 1427.

Iam tractemus

§ 3. Verba,

quorum in usu Cicero et Lucretius inter se congruunt, ita ut in eis adhibendis uterque commune exemplum esse secutus videatur.

---

[1]) Quem versum Ciceronem ad Ennii imaginem formasse supra p. 19 demonstravimus.

avere cum infinitivo *cognoscere* coniungunt Cic. Arat. 341:

quod si Solis aves certos cognoscere cursus

et Lucr. II, 216:

illud in his quoque te rebus cognoscere avemus[1])

erumpere ignes transitive dictum invenimus apud Cic. Arat. 111 (cf. supra p. 45):

aestiferos validis erumpit (Canis) flatibus ignes

et apud Lucr. I, 724:

faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis.

iacere ignem, quam locutionem Cicero in oratione soluta non adhibet, praebet Lucr. VI, 389:

et iaciunt ignem[2])

et Cic. Arat. frg. XXVII, 2:

contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem,

quae apud Aratum sunt Phaen. 165 sq.: . . . οἱ δέ οἱ αὐτοῦ

λεπτὰ φαείνονται Ἔριφοι καρπὸν κάτα χειρός.

minitari cum subst. *murmur* coniunctum habent Cic. Arat. 71 (quo in versu iam alia invenimus Enniana):

nec metuunt canos minitanti murmure fluctus

et Lucr. I, 68: . . . nec minitanti

murmure compressit caelum.

pellere pede eodem versiculi loco positum exhibent L. V, 1402: duriter et duro terram pede pellere matrem[3])
et Cic. Arat. 52:

haec (avis) dextram Cephei dextro pede pellere
gestit, [palmam

quocum compares Arati Phaen. 279: . . . κατὰ δεξιὰ χειρός

Κηφείης ταρσοῖο τὰ δεξιὰ πείρατα φαίνων (sc. ὄρνις).

Huc adde E. an. 1:

Musae quae pedibus magnum pulsatis Olympum.

---

[1]) Cf. Sil. Ital. VII, 22: . . . cognoscere avebat
et Skutschium l. l. p. 2617, 66 sqq., qui recte concludere videtur clausulam et Lucretii et Silii ex Ennio fluxisse.

[2]) In versibus antecedentibus Lucretium Ennii meminisse demonstratum est supra p. 41.

[3]) Adverbium *duriter* ex Ennio Lucretius sumpsit. Cf. supra p. 7.

Utrumque sua ex Ennio hausisse fortasse non immerito concicere tibi videbimur.

ponere vestigia originis Ennianae esse probabile est. Dicit enim Cic. Arat. frg. XV, 4:

ille tamen nitens graviter vestigia ponit

et Lucr. III, 3 sq.:

te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc
ficta pedum pono pressis vestigia signis[1]).

Hoc loco addendae sunt Vergilii clausulae Aen. VI, 197, 331 *vestigia pressit* et Aen. VI, 159 *vestigia figit*, quos versuum exitus ex Ennio esse assumptos Nordenus l. c. p. 179, 186, 222 recte suspicatur. Vox igitur *vestigia* apud Ciceronem et Lucretium et Vergilium eodem versus loco exstat.

spargere lacrimis, quae locutio in Ciceronis oratione soluta non occurrit, habent Cic. Arat. 147 et Lucr. II, 977.

spirare flammam exstat apud Lucret. II, 705:

tum flammam taetro spirantis ore Chimaeras
pascere naturam per terras omniparentis

et Cic. Arat. 110: (Canis)

haut vero toto spirans de corpore flammam[2]).

Apud Ciceronem haec verba nisi hoc loco nusquam occurrunt.

vocitandi verbum, quod apud Ciceronem in oratione soluta tantum bis invenitur[3]), ex antiquiore fonte ab utroque poeta esse haustum videtur. Legitur enim in versibus, quorum dictio respondet Ennianae (cf. supra p. 17 sqq. et 23), Cic. Arat. frg. V: quos nostri septem soliti vocitare triones

et Arat. frg. XXIX:

has Graeci stellas Hyadas vocitare suerunt

et Lucr. VI, 297: . . . extemplo cadit igneus ille

vertex, quem patrio vocitamus nomine fulmen.

---

[1]) Cf. Ovid. Met. III, 17. Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu; cf. Zingerleium l. l. II, p. 44.

[2]) Arati versus Phaen. 328 nil simile continet; ille enim simpliciter dicit *ἀλλ' οὐ πάντα πεφασμένος* (sc. *Κύων*).

[3]) In oratione pro C. Rab. Postumo 23 et in libris de re publica II, 49. Utroque loco clausulae gratia videtur positum esse.

Iam quaestione de vocabulorum usu ad finem perducta sequitur, ut verba faciamus

II. De versuum initiis et clausulis,

quae ex Ennio sumpsisse Ciceronem et Lucretium versisimile est. Versus enim initium usque ad caesuram penthemimerem et exitus praecipue memoria tenentur. Quo factum est, ut veteres poetae, si quid semel bene dictum et certo hexametri pedi accommodatum erat, id libenter in usum suum vocarent.

Quibus praemissis agamus

§ 1. De versuum initiis.

Cic. frg. 28, 3:

quo magis est aequum tumulis mandare peremptos,

Lucr. I, 28: quo magis aeternum da dictis, diva, leporem. Quod versus initium ex imitatione Enniana fluxisse non falso suspicemur, cum idem apud Vergilium quoque saepius occurrat. Cf. georg. IV, 248:

quo magis exhaustae fuerint

et Aen. VI, 718:

quo magis Italia mecum laetere reperta

et ibid. IV, 452:

quo magis inceptum peragat lucemque relinquat,

cuius versus clausula quoque locutionem Ennianam *lumina relinquere* refert (cf. supra p. 11 sq.). Neque a vero aberremus, si versibus Cic. Arat. 137:

inde gubernaclum, disperso lumine fulgens,

Cic. Arat. 155 sqq.:

exinde exiguae tenui cum lumine multae
inter Pistricem fusae sparsaeque videntur
atque Gubernaclum stellae,

quae Graece dicuntur Phaen. 367 sq.:

οἱ δ' ὀλίγῳ μέτρῳ ὀλίγῃ δ' ἐγκείμενοι αἴγλῃ
μεσσόθι Πηδαλίου καὶ Κήτεος εἱλίσσονται,

L. IV, 904: atque gubernaclum **contorquet** quo libet unum comparatis Ciceronem et Lucretium etiam haec versuum initia Ennii memores scripsisse dicamus, praesertim cum apud Vergilium Aen. VI, 349:

namque gubernaclum multa vi forte revolsum

et similiter apud Ennium an. 486:

cumque gubernator magna **contorsit** equos vi

legamus.

Cicero et Lucretius saepius versum ita incipiunt, ut pronomen demonstrativum *hic, haec, hoc* coniunctio *ubi* sequatur: cf. Cic. Arat. 113: (sc. Sirius)

hic ubi se pariter cum Sole in lumina caeli | extulit,

quamquam versus Aratei Phaen. 332 sq.:

. . . οὐκέτι κεῖνον (sc. Σείριον) ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα
φυταλιαὶ ψεύδονται ἀναλδέα φυλλιόωσαι

nihil verbis *hic ubi* simile habent, Cic. frg. 19, 9 (quo in versu iam lumina Enniana notavimus):

hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem
conspexit Marius,

Lucr. VI, 686 (quo in versu iam alia invenimus Enniana):

hic ubi percaluit calefecitque omnia circum
saxa furens.

Eo minus incredibile est Ennium hac quoque in re Ciceroni Lucretioque praeisse, quod apud Vergilium versus initio Aen. I, 81, V, 32, 315, VIII, 175 *haec ubi dicta* et Aen. II, 790, VI, 628, VII, 323, 471, VIII, 541, X, 633, XII, 81, 441 *haec ubi dicta dedit* et apud Lucilium frg. 18:

. . . haec ubi dicta dedit

legitur, quae verba ex Ennio esse sumpta viri docti contendunt[1]). Neque silentio praeterire volo, haec quoque versuum initia: Cic. Arat. 477:

nec potis est . . .

et Lucr. V, 719:

nec potis est cerni . . .

ex Ennio fluxisse verisimillimum esse, cum a Vergilio Aen. III, 671: nec potis Ionios fluctus aequare sequendo et a Catullo c. 65, 3, quem a Lucretio non pendere Iessenus l. l. demonstravit,

nec potis est dulcis Musarum expromere fetus

idem versus initium adhibeatur.

---

[1]) Marxius ad Lucil. v. 18; Skutschius l. l. p. 2618, 63; Nordenus l. c. p. 366 sq.

§ 2. De versuum clausulis.

Cic. frg. 3, 3: ... terrasque petessit,
Lucr. III, 648: ... caedesque petessit.
Cic. frg. 28, 3:
quo magis est aequum tumulis mandare per-
Lucr. III, 1089: [emptos,
quo minus esse diu possimus forte perempti.
Huc adde Vergilii clausulas Aen. VI, 163:
... indigna morte peremptum
et Aen. IX, 453: ... primis una tot caede peremptis,
quos exitus Vergilium ex Ennio deprompsisse Nordenus l. l. p. 179 suspicatur.

Deinde Cicero et Lucretius saepissime participium perf. pass. verbi *locandi* praecedente substantivo tertiae coniugationis in versus fine ponunt:

Cic. Arat. 93: ... stellas in fronte locatas,
Lucr. I, 879: ... in fronte locata,
Cic. Arat. 193 (quo in versu iam alia invenimus Enniana):
Aram sub media caeli regione locatam,
Lucr. III, 610: ... in certa regione locatam,
Cic. Arat. 145: ... Eridanum cernes in parte locatum,
L. III, 99: sensum ... non esse in parte locatum.

Neque improbabile est Ciceronem et Lucretium hac in re Ennium imitatos esse, quoniam etiam nunc apud Ennium legimus an. 241: ... si qui vellet tutoque locaret, quocum compares Ciceronis clausulam Arat. 139:
... in tutoque locatam.
Cum Lucretiana clausula I, 846: ... supra quos diximus ante contendas Cic. Arat. 120:
hunc propter subterque pedes, quos diximus ante
Orioni' iacet levipes Lepus,
quae Graece dicuntur Phaen. 338 sq.:
ποσσὶν δ' Ὠρίωνος ὕπ' ἀμφοτέροισι Λαγωός
ἐμμενὲς ἤματα πάντα διώκεται.
Ciceronem et Lucretium hos versus Cic. Arat. frg. XIII:
quem claro perhibent Ophiuchum nomine Grai,
Lucr. II, 629 sq.:
hic armata manus, Curetas nomine Grai
quos memorant Phrygios

scribentes Ennium esse secutos licet cognoscere ex illa dicendi abundantia *perhibere* vel *memorare nomine,* a qua non alienum est illud Ennii exemplum trg. 249:
... quae nunc nominatur nomine | Argo.
Itaque, praesertim cum Ciceronis et Lucretii[1]) versus etiam in aliis rebus ad Ennii exemplar sint formati (cf. supra p. 17 sqq.), utrumque clausulam *nomine Grai* ex Ennio sumpsisse non temere concludas.

Neque magis hos versuum utriusque poetae exitus similes silentio premam: Cic. Arat. 249:
lacteus hic nimio fulgens candore notatur,
Cic. Arat. frg. IX, 2:
verum tempora sunt duplici fulgore notata,
Lucr. V, 612: ... nullo qui sit fulgore notatus.
Cic. Arat. 250:
is non perpetuum detexens conficit orbem,
L. V, 665: inde coire globum quasi in unum et conficere
Cic. frg. Arat. XXII: [orbem.
tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit,
Lucr. V, 657: ... et lumina pandit.
Cic. Arat. 337:
tot caelum rursus fugientia signa revisunt,
Lucr. V, 636: ... ad hanc quia signa revisunt.
Cic. Arat. 153:
hac una stella nectuntur, quam iacit ex se
Pistricis spina evalida cum luce refulgens,
quocum conferas Arati Phaen. 365[2]):
..., ἑνὶ δ' ἀστέρι πειραίνονται,
Κήτεος ὃς κείνου πρώτῃ ἐπίκειται ἀκάνθῃ.
Cic. Arat. 108: ... Canis stellarum luce refulgens,
Lucr. II, 800: ... percussus luce refulgit.
Hic considerandum est poetas versus libenter ita claudere, ut ablativum alicuius vocis tertiae coniugationis in quinto hexa-

[1]) Casu utrumque in idem incidisse quod memoriae obversatae sint locutiones Graecae velut *ὄνομα καλεῖσθαι, ἐπίκλησιν καλέουσιν* vix credideris.

[2]) Arati versus ut alibi sic hoc loco ascribo, ut videas in eis ipsis rebus, in quibus concinit cum Lucretio, Ciceronem recedere a poeta Graeco. Hac quoque re probabile fit, non ex Cicerone haurire Lucretium sed utrumque ex poeta antiquiore.

metri pede locatum verbum cum particula *rĕ* compositum sequatur. Qua de causa hunc rhythmum posteriorum poetarum auribus exemplo Enniano commendatum esse non sine probabilitate conici potest[1]).

Sed ut redeamus ad propositum, hos quoque versuum fines e communi fonte fluxisse existimamus:

Cic. frg. 3, 49: ... e generosa stirpe profectam,
Lucr. IV, 1222: ... tradunt ab stirpe profecta.

Huc adde E. an. 178:

nomine Burrus uti memorant a stirpe supremo,

Cic. Arat. 57: ... terrai visit Equi vis,
Lucr. III, 8, 764 (quibus locis iam alia notavimus Enniana):
... fortis equi vis.

Cum Lucretius versum V, 1:

quis potis est dignum pollenti pectore carmen
condere

scribens Enniani versus an. 174:

quis potis ingentis oras evolvere belli

memor fuerit[2]), quoniam eandem clausulam quam Lucretius Cicero Prognost. frg. VI, 1:

saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
et matutinis acredula vocibus instat[3])

usurpavit, utrumque versus exitum *pectore carmen* ex Ennio deprompsisse recte suspicari nobis videmur. Neque has clausulas Cic. Prognost. frg. III, 4:

tristificas certant Neptuno reddere voces,

L. IV, 577: sex etiam aut septem loca vidi reddere voces
Enniana imitatione carere recte iudicabimus, praesertim cum eandem dicendi formulam Catullus 64, 166:

nec missas audire queunt nec reddere voces

et Varro Atacinus, quem saepius ad Ennium sese applicavisse constat[4]), frg. XII, 5 (Baehr. F. P. L. p. 334):

... consimiles meditatur reddere voces

adhibuerint. Vergilius quoque Aen. VI, 688: ... datur ora tueri,
nate, tua et notas audire et reddere voces
hunc versus finem in usum suum vocavit.

[1]) Cf. supra p. 17. [2]) Cf. Pulligium l. l. p. 19.
[3]) Aratus simpliciter dicit Phaen. 948: ἢ τρύζει ὀρθρινὸν ἐρημαίῃ ὀλολυγών.
[4]) Cf. Skutschium l. l. p. 2616, 7 sqq.

In narrando Orionis mytho, quem Cicero Arat. 420—435, quibus versibus respondent Arati Phaen. 636—646, expolivit et dilatavit, hunc versum posuit Arat. 431:

hic (sc. Scorpios) valido cupide venantem (sc. Orionem)
[perculit ictu,

quo Tullius vertit Arati verba Phaen. 643: ὅς (*sc.* Σκορπίος) ῥά μιν (*sc.* Ὠρίωνα) οὖτα. Eandem clausulam, qua Cicero utitur, habes apud Lucretium VI, 311:

... cum vementi perculit ictu,

neque incredibile est hunc versus exitum Ennianae originis esse, praesertim cum Ciceronis versum adiectivum *mortifer*, quod ex Ennio esse sumptum supra p. 8 demonstravimus, sequatur.

Iam confer inter se hos versus: Cic. frg. 3, 45 sq.:

quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
concidit atque avolsa pedum vestigia liquit,

Lucr. III, 488 (quo in versu iam alia invenimus Enniana):

... ut fulminis ictu
concidit et spumas agit,

cf. Lucr. VI, 386, 406; V, 399:

at pater omnipotens ira tum percitus acri
magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu[1])
deturbavit equis in terram,

L. III, 320: usque adeo naturarum vestigia linqui[2]).

Ego non temere concludere mihi videor Ciceronem et Lucretium etiam horum versuum clausulas Ennii memores scripsisse. Id eo confirmatur, quod et versus, qui Ciceronis versibus supra allatis antecedunt, Ennianae originis esse Usenerus l. l. exposuit et Lucretii versiculum *at pater omnipotens*[3]) et adiectivum *magnanimus*[4]) ex Ennio fluxisse certum est.

[1]) Ovid. ex P. III, 1, 51:

notior est factus Capaneus a fulminis ictu;

cf. Zingerleium l. l. II, p. 35.

[2]) Cf. vestigia ponere, supra p. 49.

[3]) Cf. Pulligium l. l. p. 36; Zingerleium l. c. p. 20.

[4]) Cf. Skutschium, Arch. f. Lexic. XII, 208 sqq.; Aus Vergils Frühzeit I, p. 65; Nordenum l. l. p. 218.

Eadem verba eandemque allitterationem invenis horum in versuum fine: Cic. Arat. 322 (quo in versu iam aliquid Enniani notavimus): haec sol aeterno convestit lumine lustrans,
L. V, 575: lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans
et V, 693: (sc. sol) ... terras et caelum lumine lustrans.
Utrumque igitur poetam sua ex Enniano fonte hausisse arbitramur, quae opinio commendatur allitteratione in quinto et sexto hexametri pede [1].

Magnus vero immo paene infinitus est numerus eorum verborum, quae uterque poeta eodem versus loco posuit. Ut magna ex multitudine nonnulla exempla delibem, habes ablativos *corpore, lumine, nomine, pectore, tempore* aliaque in paenultimo hexametri pede. Cf. Cic. Arat. 81, 87, 103, 143, 220, 37, 60, 95, 34, 163, 179, 4, 461, 61, 69, 185, 223. Lucr. I, 38, 242, 297; II, 311; I, 9; II, 144; I, 94; VI, 2; I, 93, 102; II, 147; VI, 34, 75 ac saepius; praeterea conferas velim in versus fine Cic. frg. 3, 54 *fundata teneri,* Lucr. I, 423 *fundata valebit* et IV, 828 *fundata plicari*; Cic. Arat. 13 *tangitur alis,* Lucr. II, 651 *tangitur ira,* IV, 933 *tangitur auris* multaque alia similia.

Iam vero, ut revertatur ad propositum oratio, agamus

III. De similibus versibus,

quibus in formandis Ciceronem et Lucretium ad commune exemplum sese applicasse verisimile sit.

Atque primum quidem contendas, si placet, inter se hos versus: Cic. frg. 39, 4:

aut semper aliquam molem meditabar mali

et Lucr. III, 1055: ... unde
tanta mali tam quam moles in pectore constet.

Cic. frg. 3, 18:

cum claram speciem concreto lumine luna abdidit

et Lucr. V, 582: (sc. luna)

quandoquidem claram speciem certamque [figuram praebet.

[1]) De vi allitterationis in paenultimo et ultimo hexametri pede complura exposuit Kellerus, Zur lateinischen Sprachgeschichte, II, p. 32 sqq.

Cic. frg. 3, 32:

ipse deum genitor caelo terrisque canebat

et L. V, 630: cursus abest procul a caelo terrisque propinquat,
Cic. frg. 3, 2: ... et totum conlustrat lumine mundum
menteque divina caelum terrasque petessit,

quocum conferas Lucr. VI, 956 sq.:

et tempestate in terra caeloque coorta
in caelum terrasque remotae iura facessunt [1])

et V, 92: principio maria ac terras caelumque tuere
et V, 693: ... terras et caelum lumine lustrans.

Adde Lucr. I, 820. V, 592. Neque a vero aberremus, si locutiones *caelum terrasque* vel *terras caelumque* vel similes utrumque poetam ex Enniano fonte sumpsisse dicamus, praesertim cum legamus apud Ennium trg. 257:

cupido cepit miseram nunc me proloqui
caelo atque terrae Medeai miserias [2])

et trg. 285: quique tuo cum lumine mare terram caelum

et apud Vergilium Aen. I, 58: [contines
... maria ac terras caelumque profundum [3])

et Aen. VI, 724:

principio caelum ac terras camposque liquentis,

cuius versus exitus clausulam Ennianam an. 596 *fluctusque natantes* in memoriam nobis revocat.

Neque dubitamus, Cicero et Lucretius quin ad commune exemplar finxerint hos versus: Lucr. II, 354:

sanguinis exspirans calidum de pectore flumen [4]),

Cic. Arat. 110 (sc. Canis) (cf. supra p. 49):

haut vero toto spirans de corpore flammam.

Ceteri autem versus, quibus in adhibendis Cicero et Lucretius communem fontem videntur secuti esse, hi fere sunt: Cic. Arat.

[1]) Cf. Ennii clausulam an. 59: ... dicta facessunt.

[2]) Cf. Eurip. Med. 57 γῇ τε κοὐρανῷ.

[3]) Cf. Ennii clausulam an. 546: ... caelus profundus; iterum ergo non sine arte Vergilius mutavit veterem prosodiam *caelu' profundus.*

[4]) Quod ad adiectivum *calidus* de sanguine dictum spectat, id ex Ennio esse sumptum probabile est. Cf. enim E. an. 100:
... nam mi calido das sanguine poenas.

287 sq.: in quo autumnali atque iterum sol lumine verno
exaequat spatium lucis cum tempore noctis,
quibuscum compares Arati Phaen. 513 sq.:
ἐν δέ οἱ ἤματα νυξὶν ἰσαίεται ἀμφοτέρῃσι
φθίνοντος θέρεος, τοτὲ δ' εἴαρος ἱσταμένοιο,
et Lucr. V, 687 sq.: . . . ubi anni
nodus nocturnas exaequat lucibus umbras.
Cum Ciceronis Arat. 332 sq. (quo loco iam complura notavimus Enniana): haec (sc. stellas Zodiaci) sol aeterno convestit
[lumine lustrans
annua conficiens vertenti tempora cursu,
quae Graece dicuntur in Arati Phaen. 550 sq.:
ἐν τοῖς (sc. ἐν τοῖς τοῦ Ζῳδίων κύκλου ἀστράσιν) ἠέλιος
πάντ' ἐνιαυτὸν ἄγων, [φέρεται δυοκαίδεκα πᾶσι
conferas velim hos Lucretii versus: II, 147 sq. (sc. videmus):
quam subito soleat sol ortus tempore tali
convestire sua perfundens omnia luce
et V, 619: annua sol in quo consumit tempora cursu
et V, 692: annua sol in quo concludit tempora serpens.
Denique me converto ad locum hunc Ciceronis Arat. 230 sqq.:
sic malunt errare vagae per nubila caeli
atque suos vario motu metirier orbes.
haec faciunt magnos longinqui temporis annos,
cum redeunt ad idem caeli sub tegmine signum;
quarum ego nunc nequeo tortos evolvere cursus:
verum haec, quae semper certo volvuntur in orbe
fixa, simul magnos edemus gentibus orbes,
quae apud Aratum sunt Phaen. 457 sqq.: ... ἐπεὶ πάντες μετανάσται
μακροὶ δέ σφεων εἰσὶν ἑλισσομένων ἐνιαυτοί,
μακρὰ δὲ σήματα κεῖται ἀπόπροθεν εἰς ἓν ἰόντων,
οὐδ' ἔτι θαρσαλέος κείνων ἐγώ. ἄχριος εἴην
ἀπλανέων τά τε κύκλα τά τ' αἰθέρι σήματ' ἐνισπεῖν,
quibuscum comparo hos Lucretii versus: V, 644: (sc. stellae)
quae volvunt magnos in magnis orbibus annos,
quae elocutio esse Enniana videtur, cum Vergilius scribat Aen. VI, 748: . . . ubi mille rotam volvere per annos
et Servius ad hunc locum adnotet: *Rotam volvere per annos: exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem, est autem sermo Ennii.*

Ceteri Lucretii versus, qui Ciceronianis versibus supra allatis respondent, sunt hi: Lucr. V, 635:
propterea fit ut haec ad signum quodque reverti
mobilius videatur
et V, 687: donec ad id signum caeli pervenit . . . (sc. sol)
et III, 316: quorum ego nunc nequeo caecas exponere
[causas.

Iam ad finem perveni atque novis quibusdam exemplis confirmasse mihi videor a poetis antiquioribus Ennium non minus studiose lectitatum esse quam Vergilium a posterioribus.

Index.

Eas locutiones, quas ex Ennii carminibus fluxisse coniectura mea est, signo * notavi.

Vita.

Natus sum **Robertus Franciscus Wreschniok** a. d. III. Non. Dec. anni 1879 in Silesiae oppidulo, quod Reichthal vocatur, patre **Roberto**, matre **Ioanna** e gente **Mohry**, quos deus optimus salvos quam diutissime mihi servare velit. Fidem profiteor catholicam. Elementis litterarum primis imbutus per novem annos gymnasium Vratislaviense ad St. Matthiam frequentavi. Ubi postquam vere anni 1902 maturitatis testimonium adeptus sum, in universitate Leopoldina Vratislaviensi studiis philologicis atque historicis incumbere coepi.

Docuerunt me viri doctissimi: *Baumgartner, Cichorius, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal †, Hoffmann, Jacoby, Kampers, Kaufmann, Koch, Norden, Partsch, Preuss, Skutsch, Stern, Wendland, Wuensch, Zacher.*

Ad exercitationes seminarii philologici *Foerster, Norden, Skutsch, Wendland,* archaeologici *Foerster*, historici *Cichorius, Kampers, Kaufmann, Preuss,* philosophici *Baumgartner* benevole me admiserunt.

Omnibus illis viris clarissimis gratias ago et semper habebo maximas, imprimis autem *Francisco Skutsch*, qui huic opusculo operam curamque impendere non desiit.

Sententiae controversae.

1. Contra Munroum (ad Lucr. III, 57) contendo Catullum non esse secutum Lucretium.

2. In oratione Isocr. IV, 38 cum Blassio legendum est:

   καὶ περὶ τῶν ἄλλων καλῶς διοικήσειν.

3. Contra Weckleinium Euripidis Heraclid. versus 27 est legendus:

   καὶ σὺν κακῶς πράσσουσι συμπράσσω κακῶς.

4. Ennius in annalium fragmento 374 sq., quod est:

   sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
   vicit Olympia,

   loci Homerici memor fuit Il. XXII, 22 sq.:

   . . . ὥς θ' ἵππος ἀεθλοφόρος σὺν ὄχεσφιν
   ὅς ῥά τε ῥεῖα θέησι τιταινόμενος πεδίοιο.